VINDICIAE PRO LEGE, IMPERIO, ET RELIGIONE, CONTRA TRACTATUS...

Gijsbert Cock

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
2 H
42

~~X. 1. 6.~~ 10. 9.

13. H. a. 47

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HOBBES
᾿ΕΛΕΓΧΟ΄ΜΕΝΟΣ,
Sive
VINDICIÆ
PRO
Lege, Imperio, & Religione,
contra Tractatus
THOMÆ HOBBESII,
Quibus Tit. de CIVE *&* LEVIATHAN;
Autore
GISBERTO COCQUIO,
Philoſophiæ Doctore, & Verbi
Divini Adminiſtro.

ULTRAJECTI,
Ex Officinâ JACOBI à DOEYENBURG,
cIↄ Iↄ c LXVIII.

Digitized by Google

3,4 Cx

Digitized by Google

Nobiliſſimo atque Ampliſſimo

DOMINO,

THEODORO BORRE ab AMERONGEN,

DOMINO de KONINXVRY,

Nomine hujus noſtræ Provinciæ Ultraj. in Collegio Roterod. rerum navalium Curatori vigilantiſſimo.

Nobiliſſime atque Ampliſſime Domine,

NOvit V. N. me aliquot abhinc annis duas diſſertatiunculas (quarum una eſt *de Lege in communi*, publicè ſub præſidio *Clariſſimi Viri D. Eſſenii* in Acad. Ultraj. à me ventilata; altera, eaque inauguralis, *de exemptione Principis à lege*, mihi à facultate Philoſophicâ injuncta) conſcripſiſſe, & poſtmodum

 juſtas

Digitized by Google

juſtas ob cauſas denuò evulgaſſe, quibus *Legem* & *Imperium* contra novitates quasdam, quas in tractatu *Hobbeſii de cive* deprehenderam, in omni Republ. & præſertim noſtrâ, periculoſiſſimas, vindicare atque tueri conatus fui. Iſtis autẽ meis vindiciis nunc etiam haſce *pro Religione* adjungere viſum fuit; tum quòd multi eas deſiderarent; tum quòd res ipſa, de quâ agitur, Religio ſc. (quæ hic à me contra perniciosiſſimos errores ejuſdem Adverſarii defenditur) tanti momenti eſſe cognoſcitur, ut ſi ulla cauſa, maximè hæc ſit, quæ vindicem ſui atque defenſorem aliquem mereatur: ut quâ non tantum ſalutis noſtræ æternæ, ſed potiſſimùm gloriæ maj. divinæ, quæ maximè homi-

Digitized by Google

homini Chriſtiano cordi eſſe debet, cardo vertitur. Hunc meum Hobbeſium ἐλεγχόμενον Tibi, Nobiliſſime Domine, ſacrum eſſe volui, tum ob ſingularem favorem, quo me ſemper proſequutus fuit Parens tuus, Vir non minùs virtute, quam generis ſplendore inſignis, verè Pater patriæ prudentiſſimus; tum quòd eam noverim Nob. V. indolem, eruditionem non vulgarem, humanitatem, & (quod caput rei eſt) ſingularem pietatem, aliaſque egregias animi virtutes (quas præſertim, dum per quinquennium in patriâ familiâ, verè virtutis exemplari, Tui tuorumq; fratrum inſtitutioni præfectus, fui commoratus, jam ab adoleſcentiâ in V. N. non ſine voluptate animadverti) ut minimè

Digitized by Google

mè dubitem, hunc meum qualemcunque laborem N. V. probatum iri. Munuſculum igitur hoc levidenſe, quamvis longè infra veſtram dignitatem, benigno erga me animo accipere, tuoque favore amplecti ne dedigneris. Deum opt. max. veneror, ut Nob. V. ad nominis ſui gloriam, Eccleſiæ & Reipubl. noſtræ bonum, animæque veſtræ ſalutem ſempiternam, diu ſervet incolumem;

Veſtræ Ampl. & Nob. Obſerv.

GISBERTUS COCQUIUS.

Digitized by Google

IN

HOBBESIUM ἘΛΕΓΧΌΜΕΝΟΝ

Reverendi & Doctiſſimi VIRI,

D. GISBERTI COCQUII,

Philoſophiæ *Doctoris*, & Verbi
Divini *Adminiſtri* fideliſſimi.

NOx erat, & ſpiſſis nuperrima ſæcla tenebris
Obſita doctrinæ nil niſi monſtra dabant:
Luce tamen tenebras ſenſim ſuperante, redibant
Sponte ſalutiferæ dogmata ſacra ſcholæ.
Sed veri impatiens, cœloque infenſior hoſtis,
Ringitur eſſe diem, ringitur eſſe pium.
Hinc *Florentinum* ſtercus, *Gaſarellus* in oris
Galliæ, & *Hobbeſii* jure premenda lues.
Triga venenatas propinans mentibus artes,
Triga fidem, mores, & pia cuncta necans.
Nec ſatis *Anglorum* eſt poſtremum *Hunc* perdere linguâ;
Cogitur & noſtris Belgica verba loqui:

Sci-

Digitized by Google

Scilicet, ut plures ſic ſe diffundat in oras
Nequitia, *indoctos* nec ſinat eſſe bonos.
Ergone tempus erat, ſerpenti occurrere morbo,
Peſtiferumque piâ ſiſtere voce malum?
Pro pudor! ora nimis calamique ubicunque ſilebant,
Cauſa nimis tacito proditur ore Dei.
Huic Tu igitur merito te, Frater, mente furori
Objicis; & calamo pharmaca ſancta paras.
Es COQUUS, at *coquis* haud male ſana obſonia carni,
Sed magis ætherio fercula digna choro;
Fercula grata piis, ſed verè inviſa malignis,
Toxicaque *Hobbeſiis* exitioſa dolis.
Perge igitur vafro tua ſic inferre *Britanno*
Tela; Dei cauſa eſt: *Hoc* duce victor eris.

Amico per-charo, & in Eccleſia Cockenganâ *ſucceſſori digniſſimo,*
L. M. Q. canebam,

G. SALDENUS, Eccleſiaſtes Delphenſis.

PRÆFATIUNCULA
AD
LECTOREM.

D*Uo ſunt potiſſimum, quibus omnis Reſpubl. continetur; Lex ſc. & Imperium : de Lege in hanc rem eleganter Cicero pro Cluent.* Ut corpora noſtra ſine mente, ſic Civitas ſine Lege ſuis partibus, ut nervis ac ſanguine, & membris uti non poteſt. *Et ut Livius ſcribit lib.* I. Multitudo coaleſcere in unius populi corpus nullâ re, quàm Legibus poteſt. *De Imperio autem Seneca lib.* I. *de Clementiâ ;* Vinculum eſt, per quod Reſpub. cohæret, ille Spiritus vitalis , quem tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura , niſi onus & præda , ſi mens illa Imperii ſubtrahatur. *Materia ergo hæc digna eſt , quæ à generoſis*

ingeniis excolatur, ut & Legum authoritas & Imperii dignitas ſarta tecta conſervetur; quo nihil utilius eſt, & magis neceſſarium in vitâ humanâ: in quâ cum laude multi viri eruditione celebres verſati ſunt; inter quos, meo quidem judicio, excellit Althuſius in ſuâ Politicâ, qui non tantum ratione, & ex profanis authoribus, ſed & ex ſacris Literis materiam hanc doctè & orthodoxè tractavit. Hæc autem duo ſunt capita, quæ mihi tractanda ſuſcepi hoc tractatulo, quo præſertim dogmata quædam, quæ in tractatu Hobbii de Cive deprehendi, non tantum eutaxiæ politicæ, ſed & pietati & bonis moribus adverſa, detegerem & refutarem; qui viâ tritâ relictâ, ut methodo accuratiore nobilem hãc philoſophiam excoleret, confiſus acumine ſui ingenii, tales hypotheſes ſibi commentus eſt, quibus, auſim

dicere,

dicere, non tantùm leges naturæ, & æquitatem omnem naturalem, & mutuam inter homines charitatem peſſum dat; ſed & majeſtatem principis in tyrannidem convertit, & cives ad ſervilem conditionem penitus abjicit: qualia ſunt; Omnia habere & facere in ſtatu naturæ omnibus licere, adeoque in ſtatu naturæ menſuram juris eſſe utilitatem. *art.* 10. *cap.* 1. Ante imperia juſtum & injuſtum non exſtitêre, quia omnis actio ſuâ naturâ eſt adiaphora; quòd juſta vel injuſta ſit, à jure imperantis provenit. *art.* 1. *cap.* 12. Peccare poſſe ſubditos obediendo principibus ſuis, ſeditioſa opinio. *ib. art.* 2. Præcepta decalogi de parentibus honorandis, de homicidio, adulterio, furto, & falſo teſtimonio leges civiles eſſe; non leges naturales niſi eatenus tantùm, quatenus lex

naturalis jubet obſervare pacta. *art.* 9. *cap.* 14. Tyrannidem non eſſe ſtatum civitatis diverſum à legitimâ monarchiâ. *art.* 3. *cap.* 7. Magiſtratum in ſubditos, *cap.* 7 *art.* 14. dominum in ſervos, *cap* 8. *art.* 7. parentes in filios, injurios eſſe non poſſe, *cap.* 9. *art.* 7. Liberi ſubjiciuntur patribus, non minus quàm ſervi dominis, & cives civitati; *& ſimilia. Quare cum viderem libellum hunc multorum manibus teri, & quod magis eſt, à nonnullis commendari, factum eſt, ut paucis abhinc annis duas Diſputationes conſcripſerim, & in Acad. Ultrajectinâ publicè defenderim, quarum una eſt de Lege in communi, altera eaq; inauguralis de Exemptione principis à lege; quibus fundamenta novæ hujus philoſophiæ pro modulo mei ingenii conatus fui ſubvertere: hoc autem, cùm à nemine,*

mine, quod ſciam, tunc factum eſſet, exiſtimavi mihi fraudi eſſe non poſſe, ſi à me fieret, quod hactenus factum erat à nemine. Cùm autem tunc pauca exemplaria pro more Academico eſſent impreſſa, & tamen poſtea viri nonnulli, quibus id recuſare non potui, à me petiiſſent, ut has Diſputationes de novo relegerem & prælo ſubjicerẽ, ægrè id à me impetrarunt; quòd vidiſſem incautis ſaltem uſui eas eſſe poſſe, ne ſibi perſuaderi ſinant, nobilem illam philoſophiam non minùs quàm Euclidis elementa demonſtrari. Prodeunt ergo hæc non nova, ſed parùm emendata & aucta; quibus viſum fuit annectere Rever. & Clariſſ. D. Gisb. Voetii diſquiſitionem textualem ad 1 *Sam.* 8. v. 11, 19. de Jure Regio Hebræorum, *tum propter affinitatem materiæ, tum quòd viderem, eum textum ab Hobbio etiam adhi-*

beri, ut evincat, poteſtatem principis eſſe ſummam, abſolutam, ſive quâ majorem nemo mortalium habere poteſt in ſeipſum; adeò ut quidlibet poſſit impunè facere, leges condere, lites judicare, pœnas ſumere, viribus & opibus omnium ſuo arbitrio uti, atque hæc omnia jure; adeoque etiam ratione iſtius poteſtatis ſimplicem & cœcam in omnibus obedientiam illi à ſubditis deberi. *art.* 13. *cap.* 6. *& art.* 15. *ibid. art.* 6. *cap.* 11. *& art.* 1. *cap.* 12. *& quæ paſſim plura occurrunt ejuſdem farinæ, quæque paſſim in his diſputationibus & notavi & refutavi. Quid autem præſtiterim, fretus evidentiâ veritatis, libenter Lectoris ſtudioſi judicio ſubmitto.*

DISSERTATIO PRIOR, DE LEGE IN COMMUNI.

CAP. I.

De Lege, & terminis affinibus.

TErmini affines ſunt *Juſtitia, Jus, Lex. Lex* eſt Juris regula, vel ipſa Juris conſtitutio. *Jus*, ſi à jubendo deducatur (quod multis placet), erit quaſi ſupremæ poteſtatis juſſum; & ſic idem ferè quod Lex. Aliàs notat juſtum; ſive quod juri jam dicto, ſeu Legi, conſentaneum eſt. Ponitur etiam pro poteſtate, quam quis habet in rem aliquam; cujus violatio *injuriam* conſtituit. *Juſtitia* circa jus verſatur; ita quidem ut actus juſtitiæ ſit, ſuum unicuique jus tribuere. *Vide Becan. Theol. Schol. tract. de jure & juſtitiâ. Ameſ. in caſ. lib. 5. cap. 1. alioſque.* Hæc ſunt à philoſophis, theologis, &c. vulgò recepta: quæ ſi vera ſunt, fallitur Hobbes, qui con-

contra hactenus receptam doctrinam docet, quod injuria propriè non ſit *juris*, ſed pacti, aut fidei datę, violatio; & injuria fieri non poſſit, niſi ei, qui cum contraximus: Proinde ſiquis alium in ſtatu naturæ (quem fingit) vitâ privaret, aut uſu bonorum communium prohiberet, nõ cenſendus eſſet ipſi facere injuriam. Et tamen docet ibidem, idem ſignificare *injuriam*, quod actio vel omiſſio *injuſta*; at annot. ad art. 4. diſtinguit *injuſtitiam* ab *injuriâ*; quòd *injuſtitiæ* nomen ſignificet relativè ad legem, *injuriæ* tum ad legem tum ad perſonam certam. Verba ejus ſunt; *Injuſtitiæ nomen ſignificat relativè ad legem; injuria tum ad legem tum ad perſonam certam, nam injuſtum omnibus injuſtum eſt; injuria verò poteſt eſſe, nec tamen mihi vel illi, ſed alii, & quandoque nemini privato, ſed civitati tantum; etiam nec homini cuiquam nec civitati, ſed ſoli* Deo: *nam pacto & juris tranſlatione fit, ut injuria in hunc vel illum fieri dicatur.* cap. 3. art. 3. *Pacti violatio, ſicut & dati repetitio, quæ ſemper ſita eſt in aliquâ actione vel omiſſione,*

vocatur

vocatur injuria, actio autem illa vel omiſſio injuſta dicitur; ut idem ſignificent injuria, & actio vel omiſſio injuſta; atque utraque idem, quod pacti vel fidei violatio. Quę profectò quomodò conciliari poſſint, ego non intelligo. ſc. idem eſſe *injuriam* & actionem *injuſtam*, & utramque *pacti violationem*, & tamen diſtingui, hoc eſt, non eſſe idem, ita quidem ut *injuſtitiæ* nomen ſignificet tantùm relativè ad legem; *injuriæ* verò tum ad legem tum ad perſonam certam, ita ut *pacto* & juris tranſlatione fiat, ut injuria in hunc vel illum fieri dicatur: hoc eſt, *injuſtitiam* eſſe tantùm legis; *injuriam* autem eſſe & legis & *pacti* violationem & in eo diſtingui, & tamen idem eſſe *injuriam* quod actio *injuſta*, ſc. utramque *pacti* violationem; niſi fortè velit, aliud eſſe *injuſtitiam*, aliud *actionem injuſtam*: ænigmata illa ſunt, quæ ſolvat Oedipus, non Davus. De *injuriæ* nomine porrò docet loco citato, quòd videatur *inde actioni vel omiſſioni tribui; quia ſine jure eſt, utpote quòd ab eo, qui agit vel omittit, translatum antea in*

alium fuerat. At multa ſine *jure* fiunt, quæ tamen ſecundùm te *injuriâ* non fiunt: v. g. ſiquis ſibi inferat violentas manus; rogo, an hoc faciat *jure*, an ſine *jure?* procul dubio ſine *jure*: quî enim *jure* faciat, quod juris naturalis fundamento primo adverſatur per art. 7. cap. 1. & tamen, ſecundùm te, nemo ſibi ipſi injuriam facit; juxta illud, *volenti non fit injuria.* art. 7. cap. 3. fieri ergò aliquid poteſt ſine *jure*, & tamen non *injuriâ*, non ergo idem eſt *injuriâ* factum, & ſine *jure* factum. Sed videamus, *an injuria ei fieri non poſsit, quicum nihil contraximus*; fingamus in ſtatu naturali, quem fingis, ubi omnia ſunt omnium, nec ulla ſunt pacta, unum alium occidere *ex vanâ gloriâ & falsâ virium æſtimatione.* art. 4. cap. 1. aut ab uſu bonorum communium arcere; quæro, an non injuriam ei fecerit? ſi affirmes, habeo quod volo, ſc. injuriam ei fieri poſſe, qui cum nihil contraximus; ſi neges, quæro quid obſtet? nam 1. violatur jus alterius, ſc. quod habet ad vitam tuendam & media ad vitam tuen-

tuendam neceſſaria, & quidem ex vanâ gloriâ & falſâ virium æſtimatione: nam quo nomine id crimen appellabis, quo ſic violatur jus alterius? an *injuſtitiam?* at illa ſignificat relative ad legem tantùm, non ad perſonam; an *damnum?* at hoc non eſt per ſe crimen; reſtat ergo ut appelletur *injuria*. 2. ipſe dicis, *injuriam dici, quod ſine jure fit*; qui ergo in ſtatu naturæ alium privat vitâ ex vanâ gloriâ, aut facit hoc jure, aut ſine jure; ſi ſine jure, habeo quod volo, ſc. injuriam fieri ei, quicum nihil contractum eſt; ſi jure, vide quid inde ſequatur, ſc. in ſtatu naturæ jure aliquem alium occidere ex vanâ gloriâ; adeoque aut hoc faciendo non peccare contra leges naturales, aut peccando contra leges naturales jure facere; quod abſurdum: maneat ergo, injuriam propriè eſſe juris, non pacti, violationem; fidei autem & pacti violatio *perfidia* appelletur; ſic Cicero 11. phil. *Dextræ, quæ fidei teſtes eſſe ſolebant, perfidiâ ſunt & ſcelere violatæ.* Abſurdum planè, & inauditum quoque eſt, quod docet cap. 14. art. 3. quod

quod nihil aliud ſit *Jus*, *quam libertas naturalis, à legibus non conſtituta; ſed relicta: quam primò reſtringit lex naturalis & Divina; reſiduam reſtringunt leges civiles, &c.* adeoque *Jus & Lex differant ut contraria; quod Lex vinculum, Jus libertas ſit*: Nam ſi Jus ſignificet libertatem naturalem à lege non conſtitutam, ſed relictam; ſequitur, id fore juris Divini, vel civilis, quod lege Divinâ vel civili non eſt conſtitutum, ſed relictum; & ad probandum, hoc vel illud eſſe juris Divini, vel civilis, probandum foret, hoc vel illud lege Divinâ, vel civili, neque pręcipi, neq; prohiberi; quod quàm abſurdum ſit, vel cœco apparet. *Jure ſublato*, inquit Cicero, *nihil eſt quare exploratum cuiquam eſſe poſſit, quid ſuum, aut quid alienum ſit*; at juxta placita noſtri Novatoris, Jure, i. e. libertate naturali, quam habeo in ſtatu naturæ in omnia, ſublatâ, tum demum cuiquam quid ſuum, quid alienum ſit, exploratum eſſe poteſt. 2. Falſum eſt quoque, reſiduam relinqui aliquam libertatem à lege Divinâ, quam poſtea

re-

reſtringant leges civiles: Omne enim bonum faciendum, vel malum fugiendum, continetur in lege naturali, ſeu Divinâ; ſaltem implicitè, ut concluſiones in ſuis principiis, inde per neceſſariam illationem educendæ: *leges enim* (etiam civiles) *oportet eſſe Dei, ut judicium, quod ſecundùm eas pronunciandum eſt, Dei ſit, Deut.* 1,17. 2 *Chron.* XIX, 6, 7, 8. *Sunt autem Dei, quatenus derivantur ex lege Divinâ, ſive naturæ hominum impreſſâ, ſive SS. Literis expreſſâ, per proceſſum à generali ad ſpecialia, & determinationem ſecundùm varias circumſtantias, poteſtate majeſtaticâ Dei vicariâ*; ut preclarè rev. D. Eſſenius diſp. de ſubj. Chriſti ad Legem Div. part. 3. & juxta Auguſt. *Omnium legũ eſt inanis cenſura, niſi Divinæ legis imaginem gerant.*

CAP. II.

De Legis Definitione.

HIs ita præmiſſis, ad definitionem Legis pergo, quàm hoc modo definit Ariſt. νόμος ἐστι λόγος ὡρισμένος καθ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, μηνύων πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα id eſt, *oratio definita juxta*

commu-

munem conſenſum civitatis, indicans, quomodò ſingula oportet agere. Hanc autem definitionem rejicit Hobbes; quòd non ſit legis ſimpliciter, ſed civilis : *manifeſtum enim eſt*, inquit, *leges divinas non eſſe ortas à conſenſu hominum, neque etiam naturales; nam ſi à conſenſu hominum originem haberent, etiam eorundem conſenſu abrogari poſſent*; cap. 14. art. 2. ipſe autem art. 1. cap. 14. legem definit hoc modo. *Lex eſt mandatum ejus perſonæ (ſive hominis, ſive curiæ) cujus præceptum continet obedientiæ rationem*: Sed imprimis, quod ibidem notat in definitione Ariſt. (quod ſc. ea *non ſit legis ſimpliciter, ſed civilis*) non vidit in ſuâ. addit enim *(ſive hominis, ſive curiæ,) At manifeſtum eſt quoque, leges Divinas non eſſe ortas* aut ab homine, aut à curiâ; *neque etiam naturales*: nam ſi āb homine, aut curiâ, *originem haberent, etiam eorundem conſenſu abrogari poſſent* : ſic ipſe art. 2. ſe ſuo jugulat gladio. Nimirùm hic eſt novatorum mos, ut dum aliis contradicendi ſtudio flagrant, ſui immemores ſæpè ſibi ipſis turpiter contradicant. Sed a-

liud

liud hic eſt, quod longè graviore cenſurâ dignum eſt; quòd ſc. in lege, unica ratio obediendi ſumatur à voluntate præcipientis: Sc. *Sic volo, ſic jubeo: ſtat pro ratione voluntas*. Antea nimirùm dixerat cap. 12. art. 2. *peccare ſubditos obediendo principibus non poſſe*; & art. 1. *neque ad ſingulos pertinere judicationem boni & mali*. Impia nimis hæc ſunt, quàm ut à Chriſtiano aſſenſum impetrare debeant. Vide *Althuſ. Pol. c.* 20. & 38. Rectè dicunt JCti *rationem eſſe animam legis*; interim tamen *rationem legis non eſſe ſuperſtitiosè inquirendam* benè monent; rationem autem eſſe animam legis, hoc modo probat Schonbornerus Pol. l. 3. cap. 3. *Ratio eſt anima legis, & lex ex ratione ſemper æſtimanda eſt; ut, ubi ratio non eſt, ibi nec lex ſit: cùm juſtitia ſit animi habitus, & quidem bonus, qualis eſſe non poteſt, niſi quatenus ratione perficitur; & quemadmodùm juſtitia ſine ratione non eſt, ita nec lex.* Vide plura Diſſert. noſtrâ poſteriore cap. 7. Quod verò adfert Hobbes ad confirmationem ſuæ opinionis, *Pacto Dei cum Ada-*

mo

mo Gen. 2. 15. *de non comedendo de ligno ſcientiæ boni & mali, prohibitam eſſe diſputationem de mandatis ſuperiorum.c.*12. *art.*1. &c. 16. *art.* 2. futilius eſt, quàm ut longam refutationem requirat; quod etiam *Clar.* ὁ μακαρίτης *G. de Bruyn in diſp. ſuâ inaug. de utroque Fœdere Divino*, meritò cenſoriâ virgulâ notavit. Præferendæ ergò ſunt definitiones Thomæ; quarum altera exſtat 1. 2. *q.* 90.a.1. *Lex eſt quædam regula & menſura actuum, ſecundùm quam aliquis inducitur ad agendum, aut ab agendo retrahitur*; altera *art.*4.*Lex eſt quædam rationis ordinatio, ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Hinc ergò legem hoc modo potiùs definimus: *Lex eſt quædam regula ac menſura actionum moralium, ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Quatuor porrò in ſequentibus explicabimus. 1. quæ ſit materia legis. 2. quis finis. 3. cujus ſit legem condere. 4. dicemus aliquid de promulgatione legis.

CAP.

CAP. III.

De materiâ legis. Et an dentur actiones quædam ex ſe, & ſuâ naturâ bonæ vel malæ.

MAteria Legis ſunt actiones morales, ſive humanæ; eæque vel faciendæ, vel fugiendæ: illæ præcipiuntur præceptis affirmativis; hæ negativis prohibentur: *oportet enim*, ut ait Cicero, *vitiorum emendatricem eſſe Legem, commendatricemque virtutum.* Atque hinc petitur diſcrimen inter peccata *omiſſionis*, ad quæ etiam referimus peccata malæ actionis, in quibus conditio aliqua ad actum aliquem lege mandatum neceſſaria, omittitur; & *commiſſionis*, quò etiam referenda ſunt peccata participationis in factis alienis. Porrò quòd duplex diſcrimen *Becanus tract. de lege in com. cap.* 1. q. 3. jubeat notari inter legem affirmativam, & negativam. *Unum ſc*, quòd negativa prohibeat omnes actiones malas; affirmativa non præcipiat omnes bonas:

Alte-

Alterum, quòd Lex negativa prohibeat malum omni tempore, & pro omni tempore; affirmativa non præcipiat bonum pro omni tempore; non probamus: nam quantum ad prius membrū, id minùs ſolidum eſt, quemadmodùm enim abſtinere debemus ab omni malo nobis vetito; ſic facere debemus omne bonum nobis mandatum: circa poſterius autem *diſquiritur*, an non detur actus aliquis bonus, ad quem etiam pro omni tempore obligetur creatura rationalis? affirmandum ſaltem videtur de iis quæ ſunt juris divini naturalis. Verùm lubet hic quærere,

An actiones quædam humanæ dentur ex ſe, & ſuâ naturâ bonæ, vel malæ? Becanus loc. cit. ſtatuit actus quoſdam, ut Deum colere, proximum diligere, parentes honorare, eſſe ex ſe & naturâ ſuâ bonos, eoſque præcipi lege naturali; & contrà furtum, falſum juramentum, homicidium, &c. eſſe actus ex ſe & ſuâ naturâ malos, ac proinde lege naturali prohiberi. Certè toleranda eſt magis hæc ſententia, quàm Hobbii,

bii, qui non veretur docere art. 9. cap. 14. *præcepta decalogi de parentibus honorandis, de homicidio, adulterio, ſurto & falſo teſtimonio, ſimpliciter leges civiles eſſe; & eatenus tantùm naturales, quatenus lex naturalis jubet obſervare pacta*: unde ſanè ſequeretur, actiones illas nihil minùs eſſe, quàm per ſe & naturâ ſuâ bonas & malas; ſed tales eſſe tantùm per leges civiles; cæterùm per ſe & naturâ ſuâ fore indifferentes, vel etiam contrà per leges civiles poſſe definiri: nec mirum eſt id ipſum ſtatuere, quia in ſtatu naturæ, ubi nullæ ſunt leges civiles, omnia contendit eſſe licita; rapere, occidere, adulterari, pejerare, &c. quia aliter fieri non poteſt, juxta illud, *quod neceſſariò, quod ſtudio pacis, quod ſui conſervandi cauſâ fit, rectè fit*. annot. ad art. 27. cap. 3. ſed profectò invalidum eſt argumentum; omnia facere, & poſſidere licet in ſtatu naturæ, quia *aliter fieri non poteſt*: quæro enim, unde factum ſit, quòd aliter fieri non poſſit; & an aliter fieri non potuiſſet, ſi homo in ſtatu innocentię perſtitiſſet? non poteſt dici,

dici, quòd aliter fieri non poſſit, id eſſe ex primævâ inſtitutione naturæ humanæ, niſi velis cum ſtatu innocentiæ potuiſſe conſiſtere homicidia, rapinas, & ſimilia flagitia, quæ lege Divinâ damnantur; quod abſurdum: ſi verò dicatur, factum id eſſe ex lapſu Adami, ſicut neceſſariò dicendum eſt, ſi convenienter ſacræ Scripturæ loqui velimus. *Rom.* 5. 12. quæro, an ergò aliquid fieri poſſit licitum eo, quòd per peccatum factum eſt, ut aliter fieri non poſſit? Nec tamen Becani ſententia ſimpliciter probanda eſt; quare ut intelligatur, quid in hac materiâ ſtatuendum ſit, notare juvat, dupliciter tantùm ſe habere poſſe actiones humanas. 1. in ſtatu poſſibilitatis, prout ſunt in potentiâ objectivâ. 2. in ſtatu actualis exiſtentiæ, prout ſc. ſubjectivè, aut potiùs effectivè ſunt à Petro, vel Paulo; at verò neutro modo, ſunt actiones hæ per ſe & naturâ ſuâ bonæ vel malæ: non primo modo; quia ut ſic ne quidem entia realia ſunt propriè, ſed tantùm ex hypotheſi, & κατηγορηματικῶς; eodem igitur modo

do neque bonæ, aut malæ, propriè dici poſſunt: non poſteriori modo, quia ut ſic plus quàm manifeſtum eſt, habere eas ſuam bonitatem & malitiam moralem à lege; quoniam moralis earum bonitas in conformitate cum eâ, malitia autem in difformitate ab eâ formaliter conſiſtit. Non ergò hi actus, Deum colere, diligere proximum, parentes honorare, ſunt boni ex ſe & ſuâ naturâ; ſed fluit eorum bonitas, ut jam dixi, ex imperio & voluntate Dei, qui de regulandis his actionibus leges naturales menti creaturæ rationalis impreſſit. Atque hactenus in theſi verum eſt, quod *Hobbes* dicit c. 12. art. 1. *omnem actionem naturâ ſuâ eſſe adiaphoram*; *& quòd actio aliqua juſta, vel injuſta ſit, à jure imperantis provenire*: ſed in hypotheſi hoc falſum eſt, nimirùm ante leges civiles, & *ante imperia, juſtum & injuſtum non extitiſſe*: *& Reges legitimos, quæ imperant, juſta facere imperando; quæ vetant, vetando injuſta.* Sed hæc jam ſuperiùs Cap. 1. refutavimus, cùm diximus,

mus, ante imperia extitiſſe leges naturales; unde particulares leges, quales ſunt leges civiles, tanquàm concluſiones, ſubſumi debent, & pro ratione circumſtantiarum variè determinari. Alibi autem diſertè agnoſcit Hobbès, quod hic negat; nimirùm annot. ad art. 27. cap. 3. his verbis: *breviter in ſtatu naturæ, juſtum & injuſtum non ex actionibus, ſed ex conſilio & conſcientiâ agentium æſtimandum eſt*; Sed ſtatus naturæ fuit ante imperia; quare ergo, ſi juſtum & injuſtum fuit in ſtatu naturæ, non ex actionibus, ſed ex conſilio & conſcientiâ agentium judicandum, certè falſum eſt, ante imperia juſtum & injuſtum non extitiſſe. Sed circa jus naturale Divinum, quo creatura rationalis ad amorem & cultum Deo præſtandum obligatur, hoc obiter hic notandum; aliud eſſe ſi loquamur de his actibus, amare Deum, Deum colere; ubi procedunt, quæ hactenus diximus: longè aliud, ſi dicamus, Deum naturâ ſuâ amabilem, adorabilem, & hypotheticè (ſi ponatur

tur creatura capax cultus & amoris Dei) amandum, adorandum; etiam antecedenter ad omnem liberæ voluntatis ſuæ actum: unde Deus per naturam ſuam non poteſt creaturæ rationali non præſcribere reverentiam, cultum, amorem ſui; & prohibere odium, blaſphemiam, &c. Dei. Sic Dei Sanctitas diffundit ſe in Leges: unde conſequenter, & proximè æſtimatur actionum rationalium moralis bonitas, vel malitia. Vide *Clariſſ. D. Eſſenii dictam diſp. part.* 4. *th.* 4. Atque hoc eſt punctum, in quo à nobis diſſentit *Rhætorfort. in Vindiciis Gratiæ, Exercit.* 2. *c.* 3. Imprimis *de Providentia.* Item *Maccov. loc. com. cap.* 9. *edit. à Nic. Arnoldi*, in quantum ſtatuunt, omnem Legem eſſe à liberrimâ Dei conſtitutione; adeo ut vel non adorandus potuiſſet eſſe Deus, etiam poſito homine. Argumenta contrà hanc ſententiam videri poſſunt apud *Clariſſ. Voetium App. ad diſp. de Jure & Juſtitia, Dei, part.* 1. An verò actus aliquis adeo intrinſecè malus ſit, ut Deus non

poſſit eſſe author ejus ſecundùm ſubſtantiam, vel ut anomia ſive defectus ab actu ſubſtrato diſtingui non poſſit, ſicut vult Arminius & cum illo Remonſtrantes, vide diſputantes Theologos *Maccov. loc. cit. cap.* 10. Item *Twiſſum in Vind. lib.* 2. *part.* 1. *ſect.* 15.

CAP. IV.

De Fine Legis; & de Pœnis, an futurum tantùm ſpectent; & de Tyrannide.

SEquitur finis Legis, de quo conſtat, debere eſſe bonum aliquod: ſed cùm in Communitate duplex bonum conſiderari poſſit, privatum ſc. ſummi Imperantis, & publicum totius Communitatis; quæritur, utri bono Lex, ut juſta ſit, inſervire debeat? ad quod reſpondeo; ſicut Lex eſt vel Civilis in Civitate, vel Divina in Regno univerſali Dei, ſic utramque in publicum bonum totius Communitatis ſuæ debere ordinari. Et *primò* de Lege Civili, vix ulla eſt dubitatio: quod enim opti-

optimum eſt in Civitate, ad illud oportet Legem Civilem dirigi; at hoc eſt publicum bonum totius Communitatis; nam quis ignorat, bonum publicum majoris momenti eſſe, quàm bonum privatum, adeoque illud huic præferendum? rectè enim Marius apud Saluſt. *Quò univerſa Reſpubl. pluris eſt, quàm Conſulatus, aut Prætura; eò majore curâ eam adminiſtrari, quàm hæc peti debere.* Quocirca, cùm eum etiam in finem Reges & Principes ſint à Deo & Communitate conſtituti, ut bonum publicum & commune procurent, nullus alius eorum finis eſſe debet in ferendis Legibus, quàm publica omnium ſubditorum ſalus, τὸ εὖ καὶ καλῶς ζῆν, ut loquitur. Ariſt. 1 Pol. 1. & quidem præcipuè τὸ εὖ ζῆν, hoc eſt, juſtitia, pietas & honeſtas publica: nam *remotâ juſtitiâ*, ut rectè Auguſt. *quid aliud ſunt Regna, quam magna latrocinia?* & juxta Ciceronem de Offic. lib. 3. *Nihil eſt utile, quod idem non honeſtum: nec quia utile, honeſtum; ſed quia honeſtum, utile*: quod ipſum & varia

elogia & tituli, quibus ornantur Principes in ſacris Literis ab ipſis exigunt; ut quando appellantur Duces, Antecеſſores populi, Paſtores, Patres patriæ, Cuſtodes & Salvatores populi, Regni Caput; & quæ ſimilia paſſim occurrunt in ſacris Literis, vide inter alia *Gen.* 20. & 26. *Jud.* 3. 9. 1 *Sam.* 9. 16. & 10. 1. 2 *Sam.* 5. 2. & 7. 8. 1 *Reg.* 14. 7. 2 *Reg.* 20. 5. *Dan.* 2. 38. *Pſ.* 78. 71, 72. & imprimis quid aliud ſibi vult Apoſtolus, quando ad *Rom.* 13. eos appellat *Dei Miniſtros*, quàm eos ſecundùm Domini Dei ſui voluntatem cui etiam ſunt rationem reddituri, *Eph.* 6. 9. Rempubl. adminiſtrare & Leges condere debere; ut pietas & honeſtas inter homines cum pace vigeat; ut loquitur idem Apoſt. 1 *Tim.* 2. nam (ſunt verba Ciceronis) *ut Gubernatori curſus, Medico ſalus, Imperatori victoria, ſic Principi beata civium vita debet eſſe propoſita*, libr. 1. de Republ. Scire debent Principes, ſe non propter ſemet ipſos, ſed propter ſubditos Rebuſpubl. præfici: unde laudata

per

per omnia ſecula eſt vox illa principis Hadriani; ſe vid. Rempubl. geſturum, ut ſciret rem populi eſſe, non ſuam. Proinde Florentinum illud monſtrum: *Subditos ſimpliciter eſſe propter Magiſtratus*; Item, *Politiam ſine ullâ virtute, fide, & religione, feliciter poſſe adminiſtrari*, non tam refutatione, quàm relegatione dignum eſt: vide *Liebenth. Coll. Pol. exerc.* 1. *Alth. Pol. c.* 19. 20. 21. *&c.* Et quàm parum abſit ab hac monſtroſâ ſententiâ Hobbes, colligere licet, præter alia vel inde, quòd ad probandam abſolutam & illimitatam Principis poteſtatem, in medium proferat jus illud Regium Samuelis, 1 *Sam.* 8. art. 6. cap. 11. nam aut nihil probatur ab Hobbio ex illo textu pro abſolutâ poteſtate; aut probatur, quod modò rejecimus; ſc. populum eſſe propter principem, adeoque jus eſſe principi, in Reipubl. adminiſtratione & condendis legibus, publico bono poſthabito, privatum ſuum intendere; quod verba Hobbii expendenti manifeſtum fiet: *Particularius*, inquit, *deſcribitur*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

potentia Regia à Deo ipſo per Samuelem. Verba Dei ad Samuelẽ ſequuntur: *Prædiciis jus Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos, &c. hoc erit jus Regis; filios veſtros tollet & ponet in curribus ſuis, &c. filias quoquè veſtras faciet ſibi unguentarias, &c. Oliveta optima tollet & dabit ſervis ſuis, &c.* 1 Sam. 8. 8. &c. Quibus ſubjungit; *Nonne eſt potentia hujuſmodi abſoluta?* eſt ſanè; verùm rectè reſpondit *Beſold. Synopſ. Pol. cap. 1. th.* 4. Samuelem loco citato non loqui de jure Regis legitimo, ſed uſurpato, & moribus pravis vicinarum Gentium, quorum relatione Samuel populum dehortatus eſt, ne pergeret urgere Regis electionem. Quare nullius momenti eſt, quod Hobbes porro urget ab ipſo Deo appellari Jus Regis: probandum erat intelligi ibi Jus legitimum, non uſurpatum; eo magis, quòd מִשְׁפָּט, quod eſt in textu Hebræo, non notet tantùm Jus legitimum, ſed ſimpliciter etiam morem, conſuetudinem; ſicut recte id probat Junius ad illum locum ex 1 *Sam.* 2. 13. Atque poſteriori modo

vocem

vocem hanc hoc loco eſſe intelligendam, patet ex vers 18. *Hoſ.* 13. item *Deut.*17.14.&c.Probat idem vineaNabothi, 1 *Reg.*21.vide item *Alth.Pol.Cap.* 9. *n.* 15. & ſubjunctam diſquiſitionem textualem rev. D. Voetii. *Secundò*; Etiam in Regno univerſali Dei Leges Divinæ ordinantur non in bonum Dei, tanquàm privatum; ſed totius Communitatis, in quà Deus ut Rector, membrum κατ' ἐξοχὴν,& caput, eſt conſiderandus; homines & angeli ut ſubditi: finis enim Legum Divinarum, & actionum humanarum angelicarumque idem eſſe debet; at actiones humanæ & angelicæ, ut ſint ordinatæ, dirigi debent in honorem & gloriam Dei; 1 *Cor.* 10. 31. Sed gloria Dei, totius communitatis & Dei & hominum & angelorum bonum commune, involvit. Duo enim in gloriâ Dei conſideranda ſunt; *primum* eſt ipſa manifeſtatio ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ, potentiæ Divinæ; *alterum* eſt ſubjectiva in hominibus & angelis agnitio perfectionum illarum eſſentiæ Di-

vinæ; gratioſa æternæ beatitudinis donatio, & juſtæ impiorum pœnæ, quibus ſubjectivè in hominibus & angelis perfectiones illæ Divinę manifeſtantur. Unde fallitur Crellius Socinianus contra Grotium, qui de pœnis damnatorum ſtatuit, eas in privatam ſolius Dei, peccatis offenſi, utilitatem ordinari: Negari enim nec poteſt, nec debet, damnatorum pœnas redundare etiam communi quâdam ratione in utilitatem totius communitatis. Nam 1. hoc publicum quoddam eſt, quòd damnati experiantur juſtitiam Dei, quam etiam ipſi agnoſcere coguntur. 2. cùm Leges ſervare, & juſtitiam colere, omnium interſit, improborum peccatis omnes communi quâdam ratione læſi cenſendi ſunt: quare ergo etiam in eorum bonum, damnatorum pæna redundare debet; ut hac ratione per pœnas peccatum in ordinem redigatur, & damnum per peccatum communitati illatum reſarciatur. Deus certè, ut Rector, publicam perſonam gerit, & bonum publicum curat: quod

bonum

Digitized by Google

bonum de Deo accipiendum θεοπρεπῶς; de ſubditis autem iſtius θεοχρηστίας convenienter loco ſuo, & ſubordinatè ad Deum, quandò Deus ſubditis ſuis contradiſtinguitur. Vide hac de re Clariſ. D. Eſſenium Triumph. Crucis lib. 2. Sect. 2. cap. 1.

Verùm ſocinianum Crellium ſuperat *Hobb. c.* 4. *art.* 9. ubi negat, Deum gloriam quærere in morte peccatoris; id eſt, ſicut intelligi debet, in juſtâ morte peccatoris gloriam juſtitiæ ſuæ intendere. Ne autem lector dubitet (nam ſanè vix videtur credibile talia viro Chriſtiano poſſe in mentem venire) de ſenſu authoris; hîc ipſiſſima ejus verba exhibeo: ad marginem citati loci hæc leguntur: *Præceptum legis naturalis eſt, quòd pœnæ futurum tantùm ſpectent.* & in ipſo art. *Ad ſextam legem confirmandam pertinent omnia loca, quæ jubent fieri miſericordiam,* & citat *Matth.* 5. 7. *Lev.* 19. 18. & pergit; *Sunt autem, qui hanc legem non modò non confirmatam, ſed & infirmatam Scripturis putant ex eo, quòd im-*

piis poſt mortem, ubi nullus emendationi, neque exemplo locus eſt, pœna tamen maneat æterna. Solvunt, inquit, *objectionem hanc aliqui, dicendo, Deum nulla obſtrictum lege omnia referre ad gloriam ſuam, ſed homini non licere idem facere, quaſi, N.B. Deus gloriam quæreret, hoc eſt, placeret ſibi in morte peccatoris.* Sed ſi Deus non quærat gloriam, hoc eſt, gloriam juſtitiæ ſuæ intendat in morte peccatoris, quorsùm ergo Deus peccatores plectit æternâ morte? reſponde: quid hæſitas? *Inſtitutio*, inquit, *pœnæ æternæ fuit ante peccatum, & reſpexit hoc tantùm, ut metuerent homines peccare in futurum?* obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit: quid enim eſt ſeveras Dei comminationes ludibrio habere, ſi hoc non eſt? & quo pacto ſceleſtis hominibus latior porta ad omnem nequitiam poſſit aperiri non video; nam aut impii poſt hanc vitam erunt in Regno cœlorum; quod opinor non dicet; aut in inferno æternis pœnis ſunt cruciandi; aut, ſicut Socinianis placet, mors ęterna eſt tantùm pœna

pœna damni, nõ ſenſus, hoc eſt, impiorum annihilatio. Si eligat hoc poſtremum, iiſdem armis, quibus pugnamus contra Socinianos, hic hoſtis debellandus eſt: ſi ſecundum; habeo quod volo; pænas non futurũ tantùm ſpectare ſed & malum pręteritum. Nec miretur lector, me ſuſpicari, authorem his verbis infernum tollere: ſatis enim evidenter indicat author, pænas irrogari non poſſe etiam à Deo, ubi nullus eſt emendationi aut exemplo locus; ſic enim loquitur, *art.* 11. *cap.* 3. *Infligere pœnam nullo alio ſine licitum eſt; niſi ut ipſe, qui peccavit, corrigatur; vel alii ipſius ſupplicio moniti fiant meliores.* His aſſumo: at neuter finis locum habere poteſt in pœnis æternis poſt hanc vitam impiis à Deo infligendis; nam 1. non puniendi ſunt impii æternâ morte poſt hanc vitam, ut ipſi corrigantur, qui abſq; omni ſpe gratię in barathrum deſperationis à facie Dei erunt abjecti. Nec 2. ut cæteri eorum exemplo moniti fiant meliores: nam nec id neceſſe erit beatis, qui in bono erunt

conſummati; nec proderit damnatis, qui in malo erunt obſtinati; non ergo puniendi ſunt impii à Deo poſt hanc vitam. Hæc non ſunt refutanda, ſed deteſtanda. Ex loco etiam citato patet, non de pœnis tantùm in Republ. adhibitis, ſed & Divinis intelligendum eſſe quod *cap.* 3. art. 11. docet idem *Hobbes, Scil. In ultione, ſeu pœnis, ſpectandum eſſe, non malum præteritum, ſed bonum futurum; hoc eſt, infligere pœnas nullo alio fine licitum eſſe, niſi ut ipſe qui peccavit corrigatur, vel alii ipſius ſupplicio moniti fiant meliores.* Sed quorſum ergo Chriſtus Filius Dei horrendas illas pœnas luit? an tantum, ut nos ipſius exemplo moniti fiamus meliores? at ubi jam Satisfactio Chriſti pro nobis? ubi Redemptio? ubi Religio? Pœnis peccata in ordinem redigenda ſunt: nam cùm peccatis authoritas, ſive Dei, ſive Magiſtratus, violata ſit, & tota communitas læſa; officium, ſive Dei, ſive Magiſtratus, eſt tanquam juſti judicis, & authoritatem ſuam delictis violatam vindicare, & re-

ſtitutio-

ſtitutionem damni, quod toti communitati illatum eſt, procurare *Rom.* 3. verſ. 6. 7. 25. Sed objicit Hobbes, 1. Quòd *unuſquiſque lege naturali teneatur alteri ignoſcere; modò cautum prius ſit de futuro tempore.* Reſp. tenetur quidem unuſquiſque lege naturali alteri ignoſcere, quatenus omnis vindicta privata eſt illicita: non tamen inde ſequitur in pœnis non eſſe ſpectandum malum præteritum. Publica enim vindicta tantùm abeſt, ut legi alicui naturali adverſetur, ut Magiſtratui à Deo ſit injuncta, *Rom.* 13. Exigit enim Deus & bonum commune ut juſtitiæ publicæ ſatis fiat. 2. objicit, quòd *ultio, quatenus ſolum præteritum conſideratur, nihil aliud eſt præter triumphum, & gloriam animi, quæ ad nullū finem dirigitur (nam præteritum contemplatur, finis autem futura res eſt) quodque ad nullum finem dirigitur, vanum eſt.* Sed tam facilè à nobis negatur, ultionem (loquimur de ultione, ſeu vindictâ publicâ) quatenus ſolum præteritum conſideratur, nihil aliud eſſe quàm triumphum & gloriã animi; & à

vanâ

vanâ gloriâ proficiſci, quã à te aſſeritur: non dictata, ſed argumẽta requirimus. 2. ſimiliter vanitate ipsâ vanius eſt dicere; vanum eſſe, quòd ad nullũ finem dirigitur: quis enim ignorat, finem abſolutè ultimum, qualis eſt gloria Dei, ad nullum finem dirigi; alioqui finis ultimus non eſſet: nec tamen quiſquam tam vanus eſt, ut eum vanum propterea auſus ſit appellare. 3. Similis eſt probatio, quâ probas ultionem talem ad finem nullum dirigi, quia præteritum tantum contemplatur, finis autem futura res eſt: contemplatur enim quidem malum præteritum, ita tamen ut occaſione mali præteriti intendat ordinem juſtitiæ; cui ſatiſfieri à Magiſtratibus, qui vicem Dei in his terris gerunt, cùm boni publici, tum Dei ſummi judicis maximè intereſt. His addo; dicere pœnas non reſpicere malum præteritum à modo loquendi omnibus uſitato abhorret. Sic Horat. *Rarò antecedentem ſcelcſtum deſeruit pede pœna claudo.* Quod verò addit Hobbes in fine citati art. Violationem prętenſæ

legis

legis naturalis, hoc eſt, in ultione ſpectare malum prçteritum, eſſe *crudelitatem*, non video quomodo à contumeliâ in Deum & Magiſtratùs excuſari poſſit. Cùm ergò, ut in præcedentibus dixi, leges ordinari debeant in uſum boni communis, commodè hîc quæritur; *An omnes illi ſint dicendi Tyranni, qui non communem fovent & ſpectant utilitatem?* Sic ſentit Ariſt. & Becan. cit. tract. Sed limitat hoc Beſoldus: etſi coram Deo qui hoc facit Tyrannus ſit, attamen ſi ſtatim populus talem rejicere vellet, pauca imperia turbis carerent. Alth. verò Pol. c. 38. ſtatuit illum eſſe Tyrannum, qui obſtinatè, violatâ fide & religione juriſjurandi, vincula & fundamenta conſociati corporis Reipubl. revellit ac diſſolvit; nec reſiſti tantùm ipſi ab Ephoris Regni, (quibus hoc incumbit,) licere; ſed & exauctorare, & è medio tollere. Sed longè aliud ſentit noſter Hobbes: *Tyrannidem non eſſe ſtatum civitatis diverſum à legitimâ Monarchiâ*, cap. 7. art. 3. *Quicquid fecerit is, qui in*

civitate

civitate habet ſummum imperium, impune eſſe, cap. 6. art. 12. *Abſolutum ipſi conceſſum imperium, ſimplicemque deberi ei obedientiam*, ibid. art. 13. *Nullis eundem civitatis legibus teneri*, ibid. art. 14. *Nemini quicquam proprium eſſe contra illum, qui habet ſummum imperium*, ibid. art. 15. *Ipſius eſſe determinare lege civili, quid ſit furtum, homicidium, adulterium, injuria*, ibid. art. 16. & quę plura ſunt hujus notæ. Ergo ſanè ante imperia, neque furto, neque homicidio, neque adulterio, neque injuriæ fuiſſet locus, per cap. 6. art. 16. Et per eundem art. poterit is, penes quem eſt ſummum imperium, ex furto legitimum acquirendi modum, & ex illicito homicidio licitum facere; adulterium in legitimum concubitum, injuriam in juſtitiam, infernum ſc. in cœlum convertere. Rurſus, rapiat, ſpoliet, occidat Monarcha; nihil tamen fecerit præter legitimi monarchæ officium, per cap. 7. art. 3. vel quia nullis legibus civitatis, nullis pactis tenetur, juſtè furtum, homicidium, adul-

terium, & quamvis patrabit injuriam: juſtè dico, ſiquidem *jus eſt libertas à legibus non conſtituta, ſed relicta*, per cap. 14. art. 3. denique, ſi juſſu ſummi principis idololatriam, furtum, adulterium, homicidium, & cætera flagitia ſubditus committat, non peccabit; ſiquidem obediendo principibus peccare ſubditi non poſſunt, per cap. 12. art. 2. Sed potiùs hæc recuſantes peccabunt, quòd cognitionem juſti & injuſti ſibi arrogaverint, per eundem art. An ergò peccavit Daniel, Dan. 3. Petrus, Act. 4. vers 19. & 5. vers 24? En, quorſum hæc abeant.

CAP. V.

De poteſtate Legiſlatoriâ; & an Atheus ſit ſubditus in Regno Dei.

TErtium de quo nobis dicendum erat, ſc. cujus ſit Legem condere, non eſt difficile: conſtat enim cum Lex ordinari debeat ad bonum commune, eum ſolùm Leges ferre poſſe, qui habet curam boni communis; ſc. qui com-

communitati præeſt; ſed quoniam eodem fundamento nititur & jus regnandi, & legem ferendi, non incommodè hic quæritur; quid in Deo radicaliter fundet jus regnandi? Arminium hîc refutavit Twiſſus in Vindic. l. 1. part. 2. ſect. 4. Maccov. cap. 18. loc. com. Confer etiam Ameſ. Medul. l. 2. c. 4. Et Clariſſ. Eſſenius in ſupradictâ diſputatione accuratè contra Remonſtrantes, & nominatim *Curcellæum*, defendit ὑπεροχὴν Divinam radicaliter in Deo fundare iſtam poteſtatem; quare me rurſus ad *Hobbium* noſtrum converto. Is docet cap. 15. art. 5. Jus regnandi in Regno naturali Deo eſſe à ſolâ potentiâ irreſiſtibili. Similiter art. 7. obligationem obedientiæ Deo præſtandæ procedere ab imbecillitate humanâ: idque probat hâc ratione; quia in ſtatu naturæ unicuique jus fuit in omnes regnandi ipſi naturæ coævum; quare ſiquis cæteros potentiâ in tantum anteiſſet, ut reſiſtere ei ne omnes quidem conjunctis viribus potuiſſent, ratio quare jure ſibi à naturâ con-

conceſſo decederet omninò nulla fuiſſet. *Reſp*.1. Retorqueo hoc argumentum; rationem quare de jure ſibi à naturâ conceſſo non poſſet velle diſcedere, nullam video: ſed quòd in Deo hoc jus fundare debet, tale oportet eſſe, ut ejus vi Deus non magis huic ſuo juri renunciare, quàm ſe ipſum abnegare, poſſit. 2. Pręſupponitur hîc, non probatur, omnibus in ſtatu naturæ jus eſſe regnandi in omnes: quamvis non negem omnibus in ſtatu naturæ jus eſſe in omnia, quæcunque ad legitimam vitæ defenſionem & ſuſtentationem forent neceſſaria. 3. Angeli in tantum homines potentiâ anteeunt, ut iis homines reſiſtere, ne conjunctis quidem viribus, poſſint: at quis dicet, iis competere jus dominii in homines, propter iſtum potentiæ exceſſum? 4. Non apparet quomodo irreſiſtibilis potentia jus regnandi fundare poſſit: nam aut qui tantâ potentiâ eſſet præditus, ordinaret imperium 1. in privatum ſuum bonum: at hoc injuſtum eſſe ſuperius probatum eſt; neque adeò voluntati

luntati benè ordinatæ convenire poteſt: aut 2. in bonum commune; at non apparet jam, quare regnare vellet: Hæc enim *Societas voluntariò contraheretur; & in omni ſocietate quæritur voluntatis objectum, i. e. id quod videtur unicuique congredientium bonum ſibi*, per cap. 1. art. 2. Ex his videmus ergo, quam nullum ſit dogmatis hujus novi fundamentum. Interim hoc addimus. 1. ad exercitium hujus juris in Regno univerſali Dei, Deo potentiam irreſiſtibilem eſſe neceſſariam. 2. Illam potentiam adhuc aliquatenus fundare in Deo jus regnandi; quatenus ſcil. ingreditur ὑπεροχὴν illam, & excellentiam Divinæ naturæ, quæ in aggregato omnium Divinarum perfectionum conſiſtit. Ad argumenta, quæ ex Script. profert Hobbes non eſt operæ pretium reſpondere.

Quæritur, Num Atheus non ſubditus in Regno Dei, ſed hoſtis, dicendus ſit; adeoque non jure imperii, ſed jure belli puniendus? Reſp. Hobbes cap. 14. art. 19. Affirmat; & 15. art. 2. inquit,

Soli

Soli autem in Regno Dei cenſendi ſunt, qui ipſum & Rectorem omnium rerum eſſe, & præcepta hominibus dediſſe, & pœnas in transgreſſores ſtatuiſſe, agnoſcunt. Quaſi verò aliquis unquam adeò ab omni humanitate alienus fuerit, qui nec Deum eſſe omnium rerum Rectorem, nec præcepta omnibus hominibus dediſſe, nec pœnas in tranſgreſſores ſtatuiſſe, ſibi firmiter adeò perſuaſum habuerit. Rectè Theologi non acquiſitam tantùm, ſed & innatam eſſe (contrà quàm ſentit noſter Hobbes) omnibus & ſingulis hominibus notitiam de Deo, conſtanter contra Socinianos, & convenienter S. Scripturæ defendunt. Vide *Clariſſ. D. Hoornb. Socin. conſ. lib.* 1. *cap.* 7. neque eos latere poteſt, Deum eſſe omnium Rectorem, & præcepta dediſſe omnibus hominibus, pœnaſque in tranſgreſſores ſtatuiſſe, quorum *cordibus opus legis inſcriptum eſt, unà teſtimonium reddente ipſorum conſcientiâ, & cogitationibus ſeſe mutuo accuſantibus, aut etiam excuſantibus*, Rom. 2. 15. Optimè Cicero: *de omi-*

hominibus nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque tam fera; quæ non, etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat. Et alibi: *Omnibus innatum eſt, & in animo quaſi inſculptum, eſſe Deos* (vellem *Deum* dixiſſet) Sed quid dicit noſter Novator? Dico igitur, inquit cap. 14. annot. ad art. 19. *Etſi ab aliquibus Deum eſſe, lumine rationis ſciri poſſit; tamen homines in voluptatibus, vel divitiis, vel honoribus perquirendis continuè occupatos; item homines, qui rectè ratiocinari non ſolent, vel non valent, vel non curant, denique inſipientes, quo numero athei ſunt, ſcire non poſſe.* Peſſimè ſanè. Placuit hîc & *Ciceronis* & *Hobbii* verba exprimere, ut videret lector, uter ſc. Ethnicus ille *Cicero*; an v. hic homo, qui Chriſtianus haberi vult, Chriſtianæ fidei convenientiùs loquatur. Sed *Secundò*, Siquidem peccatum non ſit, ubi non eſt lex; & nulla ſit lex, quæ non ſit mandatum ejus, qui ſummum habet imperium; alterutrum neceſſariò dicendum eſt, aut Atheum eſſe ſubditum in Regno

Dei,

Dei, aut atheiſmum non eſſe peccatum: qui poſterius audet aſſerere, næ ille in atheiſmi ſuſpicionem mihi venit. Sed excipit. 1. atheiſmum non eſſe propriè peccatum contrà legem aliquam Dei, aut atheum propriè ſubditum in Regno Dei, *qoia nemo ſummum imperium habet, quod non ſit ei noſtro conſenſu delatum*: quaſi verò imperium Dei in ſuas creaturas, & homines ſc. penderet ab eorum conſenſu; & Deus non eſſet Rex, niſi homines velint. 2. Agnoſcit eſſe peccatum, & quidem maximum, damnoſiſſimumque; ſed referri debere ad peccatum imprudentiæ, & puniri à Deo atheum non tanquàm ſubditus punitur à Rege, ſed ut hoſtis ab hoſte. Sed reſp. Atheum non eſſe dicendum ſubditum, peccare tamen eundem peccato imprudentiæ, næ magna mihi imprudentia, aut impudentia potiùs videtur: nemo enim peccare poteſt, quin ſublex ſit; cùm peccatum ſit ἀνομία, 1 *Johan.* 3. 4. Sublex autem nemo eſt niſi ſubditus, & ad quem ſe extendit juriſdictio im-

imperantis: Subditus ergo dicendus eſt Atheus, & hoſtis tamen κατ' ἐξοχὴν, eſt enim omne peccatum inimicitia contra Deum, Rom. 8. 7. & maximè Atheiſmus. *Obj.* Hobbes c. 14. annot. ad art. 19. *Nullam potui invenire legem, juxtà quam athei injuſtitiæ eſſent condemnandi: non eſt ergo peccatum ſtrictè dictum, ſeu malum culpæ; ſed peccatum imprudentiæ, quod non eſt contra legem*, quale deſcripſit cap. cit. art. 15. *in quo genere, atheiſmi peccatum ab ipſo Deo fuit relatum*, Pſ. 14. 2. *dixit inſipiens in corde ſuo; non eſt Deus.* Reſp. 1. Peccant Athei contra 1. præceptum decalogi. 2. Vocas atheiſmum peccatum imprudentiæ, ſive ignorantiæ; & negas eſſe peccatum ſtrictè dictum, ſeu malum culpæ: eſt ergo atheiſmus tantum ignorantia puræ negationis, aut potiùs imprudentia quædam; nunquid? 3. Quid hoc ſibi vult; non eſt peccatum ſtrictè dictum, ſed malum culpæ? inaudita profectò & perabſurda diſtinctio peccati, in ſtrictè & latiſſimè dictum; cur non dicis potiùs nullo modo

eſſe

eſſe peccatum: nam negas eſſe contra legem? 4. Planè inſipientis eſt urgere velle Pſ. 14. 2. *Dixit inſipiens*, &c. ad probandum Atheiſmum non eſſe peccatum injuſtitiæ; nam & *Hoſ.* 13. 12. Ephraim vocatur *Filius inſipiens*; & tamen peccata ejus vocantur *iniquitas*, *v.* 12. ſed 5. Aſſeris atheum puniendum non eſſe jure imperii; aſſeris etiam injuſtitiæ non eſſe condemnandum: itaque juſtus eſt atheus; non ſaltem injuſtus; Ergo neque jure belli puniendus eſt: cum bellum ex utrâque parte non poſſit eſſe juſtum; & omnis pœna propter injuſtitiam ſit: quare nullo modo puniri poteſt. Quibus hoc addo; ſiquidem docet Hobbes, irreſiſtibilem potentiam in Deo fundare jus Regnandi, non video, quâ ratione in dubium vocare poſſit, Atheum ſubditum eſſe in Regno Dei; nam ſic argumentor; qui ſubeſt ei, quod in Deo fundat jus Regnandi, ſubditus eſt in Regno Dei: at Atheus ſubeſt ei, quod in Deo fundat jus regnandi, utpote potentiæ Dei irreſiſtibili. Nam ſi non

Digitized by Google

ſubeſſetpotentię Dei irreſiſtibili, aut eſſet, quia Deus eũ ſibi ſubeſſe non vult, aut quia eum ſubjicere non poteſt; non quia non poteſt; nam hoc implicat contradictionem; ſc. potentiam Dei eſſe irreſiſtibilem, & tamen non poſſe ſibi ſubjicere atheum, hoc eſt, atheum ei poſſe reſiſtere: non quia ſibi ſubeſſe eum non vult; ſufficienter namque voluntatem ſuam declarat eo, quòd eum tanquam hoſtem puniat jure belli; eo ergo declarat ſe eum ſibi ſubjectum velle. Hæc & ſimilia, quæ paſſim notavi, talia mihi videntur, ut ſatis mirari non poſſim, hunc hominem ullos, qui boni Chriſtiani haberi volunt, ſibi ſuffragantes habere: cùm ita turpiter in omnem pietatem & Chriſtianiſmum inpingat; & ea titulo demonſtrationum Mathematicarum ornari, & ceu tales lectoribus in libri frontiſpicio commendari, quæ mihi potiùs ſcopæ diſſolutæ videntur, quæque tantum abeſt ut ſe mutuo apodicticè inferrent, ut potiùs ſe mutuo tollant & evertant.

CAP.

CAP. VI.

De promulgatione Legis. Et nùm naturæ, quas vocamus leges, propriè atque accuratè loquendo leges ſint?

REſtat ultimum, *Promulgatio ſcil.* ſic dicta, quaſi provulgatio; unde eleganter Feſtus, *Leges promulgari dicuntur, cùm primùm in vulgus eduntur, & legendæ proponuntur.* Vide Deut. 31. 12. promulgationem hanc eſſe legi eſſentialem probat Hobbes cap. 14. art. 13. quia lex eſt legiſlatoris mandatum; mandatum autem eſt declaratio voluntatis: non ergo lex eſt, niſi voluntas legiſlatoris declaretur, id quod fit promulgatione. 2. Idem etiam inde conſtat, quod duplex ſit legis officium; ſubditum dirigere, eumque obligare: Sed neutrum lex præſtare poteſt, niſi factâ promulgatione ſubditis innoteſcat. Et vel hinc manifeſtum eſt, minùs ſolida eſſe, quæ de lege æternâ diſputant Scholaſtici cum Thomâ: nulla enim lex creaturæ, niſi actualiter

exiſtenti, promulgari poteſt; ne dicam nunc quod Thomas legem æternam extendat ad omnium creaturarum motûs & actiones, cùm ſic illam definit, quòd ſit *ratio Divinæ ſapientiæ, ſecundùm quàm dirigit omnium creaturarum motus & actiones in ſuos fines.* Interim tamen ab æterno fuit in mente Divinâ idea, ſeu conceptus practicus gubernandæ creaturæ rationalis, conjunctus cùm voluntate obligandi eam; cujus ideatum & expreſſa imago eſt lex naturalis, quæ ingenito lumine naturali habitualiter promulgata, actuali dictamine rationis naturalis actû promulgari concipitur, cùm ratio nobis dictat, hoc vel illud eſſe faciendum, aut fugiendum. Circa legem poſitivam humanam hoc obiter hîc notandum eſt; ut ea obliget non ſufficere, ut legiſlator externo ſigno proponat, & manifeſtet ſubditis ſuam voluntatem; ſed præterea requiri, ut id fiat ſolenni ritu. Cujus rei ratio eſt; quòd principes, qui legem condunt, ſuſtineant duplicem perſonam, unam privatam, publicam alteram:

ram: ut ergo conſtet an ex publicâ poteſtate velint obligare, neceſſe eſt, ut aliquâ ſolenni & publicâ ceremoniâ teſtentur ſe hoc facere velle. Ex quibus patet falli Hobbium, cum naturæ, quas vocamus, leges quâ tales negat propriè atq; accuratè loquendo leges eſſe. cap. 3. art. 33. his verbis; *Cùm enim*, inquit, *nihil aliud ſint quàm concluſiones quædam ratione intellectæ de agendis & omittendis; Lex autem propriè atque accuratè loquendo, ſit oratio ejus, qui aliquid fieri, vel non fieri, aliis jure imperat: non ſunt illæ propriè loquendo leges, quatenus à naturâ procedunt. Quatenus tamen eædem à Deo in Scripturis Sacris latæ ſunt, legum nomine propriiſſimè appellantur.* *Reſp.* 1. An ergo non propriè & accuratè de illis loquitur *Apoſt. Rom.* 2. 15. ubi vocat, τὸ ἔργον τοῦ νόμου? 2. Si propriè atque accuratè loquendo tantùm ſunt leges, quatenus à Deo in Scripturis Sacris latæ ſunt; aut ante promulgationem legis à Deo in Scripturis Sacris propriè & accuratè loquendo homines peccare non potuerunt, cùm peccatum ſit ἀνο-

μία, 1*Joan.* 3. aut ſi peccaverunt propriè atque accuratè loquendo, non tamen ἀνομίᾳ aut legum tranſgreſſione propriè dictâ; quod abſurdum. Quin gentes propriè peccare non potuiſſent, ut quę legem ſcriptam non habuerunt, Rom. 2. 15. ſed ſoli Judæi: neque adeò *prærogativa* illis fuiſſet, quòd ſolis *ipſis eloquia Dei eſſent concredita, Rom.* 3. 1, 2, 3. Quòd Lex per Moſem inſtinctu Spir. Sancti ſit Scriptis mandata; hoc eſt per accidens præter naturam legis divinæ moralis; ut ipſe fatetur c. 14. art. 14: Diſertis verbis; *non*, inquit, *legi ſcriptæ neceſſaria eſt ſcriptio, ſed vox; hæc ſola ad eſſentiam, illa ad recordationem legis adhibita eſt.* & paulò poſt; *Lex non ſcripta non aliâ indiget promulgatione præter vocem naturæ, ſive rationem naturalē, quales ſūt leges naturales*, & ex hypotheſi cœcitatis in mente humanâ, oriundę ex lapſu Adami, factum neceſſarium. 4. & docet Apoſt. *Rom.* 2. 15. τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις. 5. Denique verum eſt, quòd Lex propriè ſit oratio ejus, qui aliquid fieri vel non fieri aliis

jure

jure imperat; ſed dictamen rationis naturalis eſt oratio Dei, quâ Deus intus in animo loquitur, & jure imperat hoc vel illud à nobis fieri vel omitti. Neque hoc negare poteſt, qui ſic legem naturalem ipſe definit cap. 14. art. 4. quòd ſit ea, *quam Deus omnibus hominibus pateſecit per verbum ſuum æternum ipſis innatum, nimirum rationem naturalem.* Atque hic Filum diſſertationis prioris abrumpo.

DISSERTATIO POSTERIOR *DE* EXEMPTIONE PRINCIPIS à LEGE.

CAP. I.

In Republ. eſſe ſummam aliquam poteſtatem. Et ſtatus quæſtionis proponitur.

QUòd in Republ. ſit ſumma aliqua & abſoluta poteſtas, quæ neminem niſi Deum & gladium ſuperiorem agnoſcit, non dubito: Reſpublica namque conſiſtit in τάξει civitatis. Ariſt. 3. Pol. cap. 6. cùm ergo in omni ordine impoſſibile ſit abire in infinitum ne-

ceſſariò in τάξει civitatis ad aliquod primum deveniendum eſt; & quod primum eſt in civitate, id ipſum etiam ſummum eſt; ſed an & quatenus illa ſumma poteſtas reſideat in principe, ſicut res eſt maximi momenti, ſic etiam maximè dubitatur & diſputatur à Politicis. Et profectò crudum nimis eſt illud Ulpiani dictum; *Princeps legibus ſolutus eſt*, ſi ſimpliciter intelligatur; quicquid contradicat Arniſæus de jure Maj. lib. 1. cap. 3. idem eſto judicium de definitione illâ majeſtatis perſonalis Bodini de Repub. lib. 1. c. 4. 8. *Majeſtas eſt ſumma legibuſque ſoluta poteſtas*, de quâ vide Alth. cap. 9. n. 20. ut autem pateat, quid nobis de Exemptione Principis à legibus videatur, quibus ſc. & quatenus Princeps legibus exemptus ſit, quædam, ſed breviter, nobis de Lege præmittenda ſunt, & præcognoſcenda ad deciſionem quæſtionis propoſitæ.

CAP. II.

Variæ legis conſiderationes.

Lex eſt norma & regula earum rerum, quæ vel agendæ vel omittendæ ſunt

ut

ut Reſpub. feliciter regatur. Leges ſunt duplices; vel *divinæ* vel *humanæ.* Per Divinas intelligo illas leges, quas olim Deus populo Iſraëlitico per Moſem dedit; & continentur partim lege *Morali*, partim lege *Forenſi* ſeu Politicâ, & partim lege *Ceremoniali.* Leges humanæ ſunt vel *naturales* vel *poſitivæ*: naturales vel eorum ſunt, quæ homini cum brutis ſunt communia; qualia ſunt, maris & fœminæ conjunctio, liberorum procreatio & educatio &c. à JCtis, *jus naturæ* appellatur, definiturque, *quod natura omnia animantia docuit*: non quod jus aliquod locum habeat propriè in brutis; ſed id materialiter eſt intelligendum, quòd jus naturale, quod in homine propriè locum habet, ſit earum rerum, quæ ipſi cum brutis ſunt communes: vel etiàm leges naturales earum rerum eſſe intelliguntur, quæ homini ut homini propriæ ſunt; & dicitur vulgò *jus gentium primævum*, quatenus ſc. reliquiæ ſunt naturæ primævæ necdum à lapſu depravatæ. Non eſt putandum eſſentiale diſcrimen in-

Digitized by Google

tercedere inter hæc duo jura; totum diſcrimen eſt tantùm materiale, & utrumque fundatur in ratione naturali. Hic obſervatum velim, leges naturales quoad ſubſtantiam eaſdem eſſe cum legibus Divinis moralibus decalogo expreſſis. vide Ameſ. caſ. conſc. lib. 5. cap. 1. ſive ergo quæram; An princeps ſeu imperans ſolutus ſit legibus Divinis, moralibus puta; ſive An ſolutus ſit legibus naturalibus, id perinde eſt. Quantum ad leges humanas poſitivas, ſunt illæ vel *communes* vel *propriæ*, illas vocant *jus gentium ſecundarium*; huc pertinent dominia, contractus, bella, fœdera, conſtitutiones civitatum, &c. *leges propriæ*, quæ & aliàs *politicæ* dicuntur, ſunt illæ, quas quælibet civitas ſibi proprias conſtituit: atque hæ leges rurſus vel ſunt de regno ineundo, & leges regni *fundamentales* appellantur, vel de regno adminiſtrando. De jure gentium ſecundario obſervandum, quòd mediam quandam naturam habeat inter jus naturale & jus civile. Vide Ameſ. l. c. Speciatim

ergo

ergo hoc jus in exemptione Principis à legibus non conſiderabo : & prætereà hoc non eſt negligendum, quòd duplex vis in lege diſtinguenda ſit, vis *directiva*, & vis *coactiva*; de quo vide Becan. Theol. Schol. tract. de leg.

CAP. III.

De Exemptione Principis à legibus naturalibus, ſeu Divinis.

PRima quæſtio eſto; *An Princeps legibus naturalibus, ſeu Divinis, ſit exemptus?* vereor ne aliquis mihi offendatur, quòd hoc auſus ſim per modum quæſtionis proponere, quaſi aliquis de eo unquàm auſus fuerit dubitare: nam quis unquam eò inhumanitatis proceſſit, ut Principem legibus Divinis ſeu naturalibus exemerit; niſi quòd principum peſtis *Machiavellus* hæc & ſimilia impio ſuo ore eructaverit: *Principi utilitatis ſuæ cauſâ licere promiſſa, vel fidem datam fallere, & revocare*; de quo monſtro opinionis vide Liebenthal.

Coll. Pol. exer. 2. quia tamen animadverti tale quid in dogmatibus Hobbæi latere, viſum fuit hoc ſeorſim proponere: nec multis argumentis cum eo diſputandum erit; ſed ſententia ejus tantùm in lucem eſt protrahenda, ut quod diſertis verbis aſſerere non auſus fuit, jam cogatur fateri, niſi ſibi contradicere velit, quod alioqui ipſi non inſolens; quo facto, non dubito, quin omnes Chriſtiani hunc hominem ſint averſaturi, cap. 12. art. 4. diſertis verbis aſſerit: *Subjectos eſſe legibus civilibus etiam eos, qui habent ſummum imperium, ſeditioſa opinio*: analogus locus eſt cap. 6. art. 14. cum his conferantur quæ leguntur art. 16. cap. 6. *Furtum, homicidium, adulterium atque injuriæ omnes legibus naturæ prohibentur: Cæterum quid in cive furtum, quid homicidium, quid adulterium, quid denique injuria appellandum ſit, id non naturali ſed civili lege determinandum eſt.* Perſtrinxi etiam hæc verba, ſed obiter, in diſſ. de Lege in communi priore cap. 4. quid jam videtur? Princeps lege civili deter-

determinat, quid furtum, quid homicidium, quid adulterium, quid injuria, &c. ſit: furtum tamen, homicidium, adulterium, injuria, &c. legibus naturæ prohibentur: quare, cùm exemptus ſit princeps legibus civilibus, etiam legibus naturalibus de furto, homicidio, adulterio, atq; injuriis omnibus, neceſſariò erit exemptus: nam leges hæ naturales juxta illum in legibus civilibus continentur, quatenùs vult, quid furtum, quid homicidium, quid adulterium, quid denique injuria appellandum ſit, id non naturali ſed civili lege eſſe determinandum. Quid clarius? Quæque dicit hic legibus naturæ prohiberi; furta, adulteria, homicidia, &c. ea diſertè dicit pertinere ad leges civiles cap. 14. art. 9. Non eſt prætereundum, quod addit cap. 14. art. 9. leges naturales eadem, præcepta ſc. decalogi de parentibus honorandis, de homicidio, adulterio, furto, & falſo teſtimonio, quidem præcipere; ſed implicitè. Quid hoc eſt, implicitè? explica te. Video; id eſt, vi pacti cum Princi-

pe

pe initi; & lex naturalis eſt, *pactis ſtandum eſſe*, *cap.* 3. art. 1. Sed, an ergo vi pacti tantùm cum Principe initi tenentur ſubditi abſtinere ab homicidio, adulterio, furto; & an vi ejuſdem pacti tantùm falſum teſtimonium dicere peccatum eſt? & an vi hujus pacti tantùm etiam filii tenentur obedire parentibus? hæc per ſe nimis futilia ſunt. Et ſi rem benè perpendo, nullas hic invenio leges naturales, quibus homines ſunt obſtricti, quam leges civiles: nam leges naturales, quantùm video, huic homini ſunt tantùm individuum quoddam vagum, & universale aliquod indeterminatum; & ſuſpenſi planè manent ſubditi circa leges naturales, donec à legibus civilibus determinationem ſuam accipiant: antè leges civiles nullus eſt homicidio, adulterio, injuriæ, &c. locus; ſed tum demum, ubi quid furtum, quid homicidium, quid adulterium, quid falſum teſtimonium ſit, à lege civili determinatum fuerit: conſequenter etiam, cùm lege civili determinetur tantùm, quid

in *cive* ſit homicidium, adulterium, furtum, Princeps Legibus de homicidio, furto, adulterio, &c. quę ſunt leges naturales, & quatenus ſunt tales, teneri non poteſt; cùm nemo teneatur legibus naturalibus de homicidio, furto, adulterio, falſo juramento, &c. antequam quid homicidium, quid furtum, quid adulterim ſit, ſit determinatum. Sed cur etiam non addit, quid ad mei conſervationem conducat, lege civili determinandum eſſe? nam hic ſuſpenſus hæreo; & neſcio quid ſibi velit; utrùm & illud judicium in imperantes tranſlatum ſit; an verò unuſquiſque illud judicium ſibi reſervaverit: quicquid dicat Hobbes, vapulabit. Vide cap. 7. eò magis dico ipſum tollere jus omne naturale; quòd dicat cap. 12. art. 1. ante imperia juſtum & injuſtum non extitiſſe; ut quorum natura ad mandatum ſit relativa; quòdque omnis ratio juſti & injuſti à præcepto & voluntate imperantis proveniat: nam, dico ego, quòd ſi ante leges civiles juſtum aut injuſtum non extitêre; ergo nec
jus

jus aliquod naturale, quòd eorum natura ad jus ſit relativa; ergo fucum nobis facit, quando dicit: furtum, adulterium, &c. prohiberi jure naturali: niſi velit, quod etiam dicit, jure naturali, hoc eſt vi pacti, de quo jam dixi. Vel ſi jure naturali antecedenter ad imperia pactis ſtandum eſt; ergo ſaltem aliquid juſtum extitit, ante imperia. Confer annot. ad art. 7. cap. 6. vide meam diſſ. de Lege in comm. cap. 3.

CAP. IV.

De Exemptione Principis à Legibus Regni fundamentalibus.

SEcunda quęſtio circa exemptionem Principis à legibus nobis enodanda, quæ plus dubitationis admittit, ſequitur hæc: *An ſc. Princeps, ſeu imperans, ſit exemptus legibus regni fundamentalibus?* quæſtio hæc ſatis vexata eſt inter Politicos; pauci tamen ſunt qui affirmativam tenent ſententiam. Legibus regni fundamentalibus imperantem eximit Barclajus. *lib. de regno & regali poteſtate*, & ante eum Brentius, & poſt

hunc Gentilis; & noviſſimè etiam Hobbes aſſeruit in tractatu de Cive cap.6.art.14.nullis Principem civitatis legibus teneri. At nos contrariam ſententiam cum doctiſſimis & pleriſque Politicis tenemus. Rectiſſimè Ameſius caſ. conſc. lib. 5. cap. 25. *Poteſtas principis non eſt abſoluta; ſed duplicem habet limitationem*; 1. *à voluntate Dei, cujus eſt miniſter Deut.* 17, 18. *&* 2. *ab illa voluntate hominum, quæ conditionibus aut legibus illis continetur, in quibus imperii poteſtas fundatur.* Vide Deut. 17. 2Sam. 5. vers 3. Sciendum enim eſt duplicem eſſe in omni republicâ majeſtatem; unam realem, quæ reſidet apud populum & conſtitutionem regni concernit, & certis legibus quas fundamentales vocant, comprehenditur; quin nec dominica monarchia caret hâc reali majeſtate. *Beſol. ſyn. Pol. l.* 1. *c.* 1. conveniens namque eſt, ipſam rempublicam, & totum politicum corpus, æque ac perſonam, quæ rempublicam regit, ſingularia jura habere: alteram *perſonalem*, quæ reſidet in

Prin-

Principe, & reipublicæ adminiſtrationem concernit; quæ ſicut originem habet à majeſtate reali, ſic & eidem obſtricta eſt, nec leges regni fundamentales immutare poteſt; ſed juxta eas adminiſtrationem regni accommodare tenetur: non enim Imperans dominium regni obtinet, ſed adminiſtrationem tantùm. Qui in contrariâ ſententiâ ſunt, potiſſimùm hoc nituntur fundamento. 1. Quòd putent Imperantis poteſtatem debere eſſe abſolutam, ſummam, &c. & quòd talis ſubjectio ad leges haſce fundamentales cùm hac abſolutâ poteſtate imperantis non poſſit conſiſtere. Sed quid ſi negemus poteſtatem Principis eſſe abſolutam? tuta eſt potentia, quæ viribus modum imponit: aliud eſt, eſſe in republicâ ſummam & abſolutam poteſtatem; aliud poteſtatem illam reſidere apud Principem. Rectè Ariſt. lib. 3. Pol. c. 11. *Regem tantas habere vires & potentiam convenit, ut ſingulis ſit potentior, & multitudine ipſâ impotentior.* 2. Beſold. ſyn. Pol. l. 1. c. 1. aliter ſic reſpon-

reſpondet; quòd Imperans dicitur majeſtati reali obſtrictus, id non de obſtrictione ſubjectivâ, ſed conſervativâ intelligendum eſſe. Profectò quòd Imperantis licentia legibus regni cohibeatur, non videtur aliquid derogare ipſius poteſtati: quemadmodum enim Dei poteſtas non minor eſt, quòd ſeipſum abnegare non poſſit; ſic nec Principis poteſtas eo minor eſt, quòd legibus inhibitus, nihil poſſit, quod in deſtructionẽ imperii ſui cedat: contrà leges aliquid poſſe, aut in ſui perniciem, non eſt poteſtatis, ſed impotentiæ nota. Plura vide apud *Alth. cap.* 39. *n.* 8. Hobbes nititur hoc fundamento, quòd civium ſingulæ voluntates in voluntate civitatis contineantur, adeoque ſi civitas ſe liberam eſſe velit à tali obligatione, etiam cives velint. cap. 6. art. 14. & cap. 12. art. 4. per civitatem intelligit hic Hobbes Imperantem; ſed nos negamus, imò pernegamus, quòd civis ita abſolutè in omnibus, ut ille vult, ſuam voluntatem voluntati Imperantis poſſit ſubjicere: non enim ulteriùs po-

ùs poteſt, quàm per leges naturales & Divinas licet: & quomodo nobis contrarium probaverit? Putat paci reipublicæ non ſatis conſultum fore, niſi ita fiat. Reſp. Hoc negamus: contrarium experientia docet. 2. nititur falsâ hypotheſi: ſc. bonitatem actionis in eo ſitam eſſe, quòd ſit in ordine ad pacem; malitiam quòd ſit in ordine ad diſcordiam. cap. 3. art. 32. quaſi vel pax vel diſcordia, bonitatis vel malitiæ actionum moralium menſura ſit: contrarium evincitur ex Matth. 16. 26. qui ſententiam noſtram pluribus cupit confirmatam adeat Alth. cap. 16. n. 5.

CAP. V.

De Exemptione Principis à legibus Regni non fundamentalibus.

PRæcedentibus plus difficultatis habet; *An non ſaltem Imperans legibus regni non fundamentalibus ſit exemptus?* plurimi Politici affirmativam tenent; inter quos etiam eſt Arniſæus, qui lib. 1. de jure maj. cap. 3. contendit

dit, poteſtatem Imperantis non tantùm legibus ſolutam & liberatam eſſe; ſed ne teneri quidem: ſed intelligendus eſt de legum civilium vi coactivâ. Cæterùm imperantem in foro conſcientiæ legibus civilibus teneri, non diffitetur; ſed diſertè aſſerit. Quòd autem imperans etiam legibus civilibus quoad vim earum directivam ſit obſtrictus, hâc ratione probatur: aut leges civiles æquæ ſunt, aut iniquæ; ſi iniquæ, nemo tenetur; ſi æquæ, unde habent ſuam æquitatem? an non à jure naturali? jure ergo naturali princeps non minùs quàm ſubditi legibus civilibus tenetur. Rectè Bucher. cap. 3. *ſi princeps legibus ſolutus eſt, ergo etiam ab omni ratione; quia lex eſt recta ratio.* Adſcribam verba Althuſii cap. 9. n. 21. quia magni momenti ſunt ad id ipſum confirmandum: *Lege civili*, inquit, *poteſtatem ſolvere, eſt etiam aliquatenùs naturalis & divinæ Legis vinculis eandem liberare: nulla enim eſt, nec eſſe poteſt lex civilis, quæ non aliquid naturalis & Divinæ æquitatis immutabilis*

habeat

habeat admixtum. Objic. Schonb. Pol. l. 3.c.5. Princeps habet poteſtatem ferendi & abrogandi leges; ergo iis non tenetur. Reſp.1. Negatur Principem ſemper habere tam abſolutam poteſtatem, ut abſolutè & abſque conſenſu Optimatum, aut Conciliorum, regni, leges pro arbitrio ſuo condere & abrogare poſſit. *Alth. cap.*29.*n.* 4.2. Nulla eſt conſequentia: princeps condit, abrogat leges; ergo iis non tenetur. Si vis obligandi proficiſceretur ſolummodò à voluntate principis; nec æquitas quædam naturalis foret ſpectanda, hæc argumentatio quandam ſpeciem veritatis præ ſe ferret: ſed longè ſeciùs, eſſe inferiùs demonſtrabo. *Objicit* Hobbes.cap.6.art.14.quòd nemo poteſt ſibi obligari, ergo &c. Reſp. 1. omnis princeps in foro conſcientiæ obligatur Deo ad leges civiles obſervandas; idque vi æquitatis moralis, quæ in omni lege civili debet contineri. 2. Poſſet hic adhiberi diſtinctio Becani Theol. ſchol. tract. de Legibus: quòd princeps legibus civi-

libus

libus teneatur non ex affectu *obedientiæ*, ſed ex affectu *virtutis*. 3. Negatur ſimpliciter, neminem ſibi ipſi poſſe obligari: contrà dico; ſecundùm principia Hobbæi, unuſquiſque ſibi ipſi eſt maxime obligatus; Nam *juris naturalis fundamentum primum eſt, ut quiſque vitam & membra ſuam quantum poteſt tueatur*. cap. 1. art. 7. cùm ergo ex obſervantiâ legum civilium non tantùm incolumitas regni & ſubditorum pendeat, ſed vel maximè etiam ipſius principis, ſequitur quòd vel maximè etiam princeps legibus civilibus obſtrictus ſit. 4. Princeps ſuſtinet duplicem perſonam; unam privatam, alteram publicam: princeps ergo tanquam perſona privata, ſibi tanquam perſonæ publicæ obligatur. Nec illa diſtinctio eſt abſurda; ſic enim diſtinguuntur à Politicis bona principis, ubi agunt de *ſubjectione rerum*, quòd alia ſint principis quâ talis, alia quâ Theodoſii, Juſtiniani, &c. & maximè Hobbes tenetur admittere illam diſtinctionem: nam quæro ex ipſo, an putet omnem

omnem voluntatem principis habere vim legis; an verò quæ ab ipſo proficiſcitur in qualitate principis? ergo Princeps qua perſona privata, non minus quàm ſubditi legibus à ſe latis tenetur, ſi non magis; niſi velit, quòd turpiſſimum eſt, propriâ ſuâ lege damnari: lex ergo ſit ſupra principem; nec princeps legibus, ſed leges principi præſint. Plato dial. 4. de leg. *interitum*, ait, *paratum illi civitati video, in quâ non lex magiſtratibus, ſed legi magiſtratus præſunt.* Laudatum, næ nunquam laudatum ſatis eſt dictum illud Imperatoris inſtit. de leg. *Digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri; adeò de authoritate juris noſtra pendet authoritas. Objicitur* illud dictum Ulpiani: *Princeps legibus ſolutus eſt.* Reſp. 1. in principio diximus dictum hoc nimis crudum eſſe, ſi ſimpliciter intelligatur. 2. Leges civiles vel univerſales ſunt, vel particulares & reſtrictæ ad certum hominum genus, aut de certis actionibus, quæ in Principe locum habere non poſſunt: dictum

illud

illud intellige de poſterioris generis legibus, non de prioris. Vel non diſplicet mihi ſententia Bornitii; qui indiſtinctè Principem ſubjicit omnibus legibus civilibus, quatenus ἀναλογικῶς ad illum accommodari poſſunt. 3. Poteſtas Principis vel ordinaria eſt, legibuſque conformis; vel extraordinaria, architectonica, civilis nomothetica legibuſque liberata; de quâ diſtinctione vide *Beſold. Syn. l.* 1. *c.* 1. 4. Multi, ut Vaſq. Cortaſ. & Donell. illud Ulpiani de juris ſolemnibus interpretantur. Apud *Arniſ. lib.* 1. *de jure Maj. cap.* 3.

CAP. VI.

De Exemptione Principius à Legibus, quoad vim earum coactivam.

SEquitur quarta quæſtio; *An non ſaltem Princeps legibus ſolutus ſit, quoad vim earum coactivam?* *Reſp.* breviter, 1. ſi Princeps delinquat contra leges non fundamentales regni, legibus pœnariis Principem eſſe ſolutum; non reſ-

pectu obligationis, ſed reſpectu executionis. *Alth. Pol. c. 24. n. 49. Reſp. 2.* etiam eatenus Principẽ legibus pœnariis eſſe ſolutũ, ſi peccet contra leges regni fundamentales, quòd nec populus qui eum conſtituit, nedum privatus aliquis, ſed ſoli Optimates & Ephori regni ipſum judicandi vel puniendi poteſtatẽ habeant. *id. ib. cap.* 38. ubi latè agit de hâc materiâ. Quod dixi Ephoros regni poteſtatem habere Principem judicandi, puniendi, &c. ſi contra leges regni fundamentales delinquat, nam reliqua certa ſunt, patet ex præcedentibus, quòd ſubjectus ſit legibus regnì fundamentalibus: nam fruſtrà erunt tales leges niſi adſit poteſtas aliqua coactiva, quâ imperans in officio contineatur. Liceat mihi argumentari, ut Hobbes argumentatur cap. 6. art. 4. *ad ſecuritatem non ſufficit pactum de non furando, occidendo, &c.* Addo ego, rempublicam evertendo, &c.: *manifeſta enim omnibus eſt ingenii humani pravitas, & experientiâ nimis cognitum, quàm parùm amotâ pœnâ conſcientiâ promiſſionum*

homines

homines in officio continentur; *ſecuritati itaque non pactis, ſed pœnis providendum eſt*: hinc inconſequenter omnes illi mihi procedere videntur, qui cùm imperantes legibus regni fundamentalibus ſubjiciant, eoſdem tamen à vi legum coactivâ eximunt; quæ dico confirmant etiam verba Arniſæi de jure majeſt. lib. 2. cap. 3. Cùm *tota*, inquit, *vis legum in eo conſiſtat, quòd jubeant vel vetent, hoc eſt, ut uno verbo dicam, quòd cogant, ſequitur vim cogendi oportere eſſe penes eum, qui legem conditurus eſt.* Unde memorabile eſt, illud Trajani: cùm, præfecto prætorio gladium tradens, dixit: *Hoc gladio pro me utaris, donec juſta fecero; ſi injuſta fecero, contra me utaris. Objicit* Arniſæus de jure maj. lib. 1. cap. 3. quòd nihil majeſtate ſit ſuperius, unde nec judicari, nec puniri vel in ordinem redigi à quoquam poteſt, niſi à ſolo Deo. *Reſp.* 1. negatur quòd neminem ſe habeat ſuperiorem: reverâ enim populus, & Ephori, ſunt ſuperiores Principe: nam omnem ſuam poteſtatem

Digitized by Google

habet Princeps à populo. 2. Si hoc minùs placet: ſic cape; Tyrannus deſinit eſſe rex & perſona publica, & ob tyrannidem incipit fieri privatus; *Alth. cap.* 38. Contrarium item tenet Hobbes c. 6. art. 12. *quod impunè debeat eſſe quicquid fecerit princeps*: ſed quid argumenti habet? quòd unuſquiſque civium ſuam voluntatem ſubjecit voluntati ejus, qui ſummum in civitate imperium habet, ita ut viribus propriis uti non poſſit. Salvâ diſtinctione ſuperiùs datâ *Reſp.* debile fundamentum: nam nos conſtanter negamus unumquemque civium ſuam voluntatem aut ſubjeciſſe ita abſolutè in omnibus voluntati imperantis, aut etiam ſalvâ lege naturæ de conſervatione ſui ipſius, vel ipſo Hobbio teſte, ſubjicere potuiſſe; & quid roboris hæc argumentatio habeat, æquus lector judicet: ut punire naturaliter eum nemo poteſt, qui ſatis virium non habet; ita neque jure punire, qui ſatis virium non habet: Nam 1. ſatis virium eſt penes Majeſtatem realem.

Digitized by Google

2. Potentiam hic facit menſuram juris; quod inauditum: quorſum enim diſtinctio illa; de jure & non de facto, vel de facto & non de jure; à poſſe ad eſſe, dicunt philoſophi, non valet conſequentia; ſic & ego dico, à poſſe ad jure poſſe, vel à non poſſe ad jure non poſſe non valet conſequentia: nam manifeſtum eſt, aliquo caſu alicujus potentiam poſſe inhiberi, ut non poſſit, quod tamen jure poteſt. 3. Supponit hic, quòd jus regnandi fundetur in irreſiſtibili potentiâ, contrarium demonſtravi in diſp. meâ de Lege in communi; non neceſſum id hic repetere. Fundamentum totius hujus argumenti hoc ſuppoſito nititur, quòd alioqui paci civium non foret conſultum, niſi ſic in omnibus civium voluntas imperantis voluntati fuerit ſubjecta; quaſi bonitas actionum moralium in eo conſiſtat, quòd ſint in ordine ad pacem; malitia, quòd ſint in ordine ad diſcordiam, contrarium demonſtravi ex Matth. 12. 26. ſic potiùs in Scripturam ſit analyſis, quàm in

corruptam noſtram ratiocinationem.

CAP. VII.

De authoritate Principis in leges.

QUintum, quod mihi enodandum propoſui, hoc eſt: *An tanta ſit Principum in leges authoritas, ut omnis ratio obedientiam iis præſtandi in totum dependeat à voluntate imperantis?* hoc aſſerit Hobbes cap. 14. art. 4. nullam æquitatem ad voluntatem Principis præſupponi, ſed omne juſtum & injuſtum à ſolâ voluntate imperantis jubendo & vetando in leges derivari; quin voluntatem imperantis rationi eſſe præferendam; juxta illud: *ſic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas.* Quod dictum tamen omnes Politici, tanquam impium & tyrannicum, deteſtantur: & nequis de ſententiâ ipſius dubitet, cum his conferat art. 1. cap. 12. obiter hanc hujus hominis ſententiam in diſp. meâ cit. antehac notavi, nunc paulo fuſiùs illam refutabo; ſtatuo ergo contrà voluntatem imperantis ad vigo-

vigorem legis civilis eſſe quidem neceſſariam, ſed ſolam non ſuffcere, ſed inſuper illam in ratione & æquitate naturali debere fundari; adeoque niſi lex illam æquitatem naturalem contineat, ſed rectæ rationi repugnet, potiùs Deo, ſeu rectæ rationi, quàm Principis voluntati, obediendum erit. Nam 1. cùm leges naturales ſint leges Dei, ut fatetur cap. 14. art. 4. & leges civiles ſint leges hominis (Princeps enim homo eſt, ut arbitror) & potiùs Deo quàm hominibus obediendum ſit, teſtantibus Apoſtolis *Act.* 5. ſi contingat aliud mihi imperare Principem, aliud mihi dictare rationem naturalem: v. gr. Princeps jubeat ſcortationes, adulteria, homicidia, rapinas, &c. contrarium mihi dictet ratio naturalis, potiùs Deo, ſeu rectæ rationi, quàm Principis imperio, parendum erit. Dicet: impoſſibile eſſe leges civiles quicquam jubere contra leges naturales: quia vi legis naturalis, *pactis ſtandum eſſe*, univerſaliter & omnibus obedire obligamur. cap. 14. art. 10. ſed Reſp.

 niti-

nititur hæc exceptio falſiſſimâ hypotheſi, ſc. ſubditos vi pacti ſic in omnibus ſe ad univerſalem & cœcam obedientiam aut obſtrinxiſſe Principi, aut etiam obſtringere potuiſſe. 2. Quid ſi mihi imperet Princeps, quod vel maximè judico adverſari legi naturæ fundamentali de conſervatione mei ipſius? quid faciendum? an parendum? ſed parendo peccabo contra legem naturæ fundamentalem, cap. 1. art. 7. an verò non parendum? & quare? vides ergo non ſufficere voluntatem Principis ad ſubditos ad obedientiam obſtringendos; ſed inſuper non debere juri naturali adverſari, ſive in jure naturali debere fundari. Video quid Hobbes, aut alius quis pro ipſo reſponſurus ſit: nimirùm in ſtatu naturali, ubi jure æquali ſinguli vivunt, nec per pacta ſe aliorum imperio ſubmiſerunt, judicium de bono & malo, quid conſervationi meæ adverſetur, quid non, pertinere ad ſingulos; ſecus ſe rem habere in ſtatu civili, ſed vi pacti tale judicium pertinere ad imperantes.

Reſp.

Reſp. 1. Facit Hobbes ex ſubditis mancipia imperantis; imò plus quàm mancipia; eo uſque ſc. homines Principi ſuo eſſe obſtrictos, ut omni judicio circa ea, quæ ad ſui conſervationem ſunt neceſſaria, ſint deſtituti; & unicè in omnibus cœcâ quâdam obedientiâ pendeant ex nutu & voluntate ſui imperantis. 2. Non eſt veritati conſentaneum, vi pacti in ſtatu civili ſubditos ſe ſpoliâſſe tali judicio; non enim putandum eſt quemquam aliquid poſſe, quod tendat in præjudicium legis fundamentalis de conſervatione ſui ipſius; idque quidem vi pacti; & vel maximè quod tale pactum, ipſo Hobbio teſte, ſit invalidum. cap. 2. art. 18. jure meritò dicit *Alth. Pol. cap.* 18. *n.* 43. quòd reſp. ſibi adminiſtratores conſtituendo, ſe ipſam ſui ſervandi facultate non ſpoliavit. *Obj.* Hobbes. In eo conſiſtit unicum diſcrimen inter conſilium, & præceptum; quòd in conſilio ratiò parendi ſumatur ab ipſâ re; in præcepto unica ratio parendi ſumatur à voluntate imperantis. *Reſp.* In

præcepto ratio obediendi ſumitur ab utroque; in eo conſiſtit diſcrimen: nam neceſſaria quidem eſt, ut ſuprà dixi, in præcepto Principis voluntas, ſed ſola non ſufficit; ſed præterea requiritur, ne imperantis voluntas juri naturali adverſetur.

CAP. VIII.

De ſummâ & abſolutâ Principis poteſtate.

DEnique, quia quæ Hobbes habet de abſolutâ Principis poteſtate, cap. 6. art. 13. hactenus dictis maximè adverſantur, paucis ea perpendenda & examinanda nobis ſunt. Occurrit hic primùm definitio ſummi imperii: id i[illegible] ſic definit; *ſummum imperium eſt, quo majus ab hominibus jure conferri non poteſt*; & quantum hoc ſit, ſequentibus verbis explicat; *ſive quo majus nemo mortalium habere poteſt in ſeipſum; & tale imperium*, ait, *abſolutum vocamus*: age, videamus, quid veri ſit in his verbis. 1. Hoc obſervo, quòd be-

nè

nè in definitione ſummi imperii dicat, quo majus *jure* ab hominibus conferri non poteſt; talem etiam nos poteſtatem in imperante agnoſcimus; ſed an jure tantam poteſtatem ſubditus in Principem tranſferre poſſit, quantam ipſe vult, id in quæſtione eſt; nec ab ipſo demonſtratum. Quanta ſit autem illa poteſtas, ſequentibus verbis prodit; quòd tanta ſit, quâ nemo mortalium majorem habere poteſt in ſeipſum; jam video quid ſibi velit; quando dixit, *jure*; ſed nos negamus & pernegamus, jure tantam poteſtatem ſubditum poſſe transferre in Principem: nam 1. ſi tantam poteſtatem ſubditus tranſtulit in imperantem, ergo tantam, quantam habuit in ſeipſum; ergo jam ſe omni poteſtate & imperio, quod habebat in ſeipſum ſpoliavit; ſed quomodo hoc conſiſtere poſſit cum lege fundamentali de conſervatione ſui ipſius, non video; & jam hinc patet verum eſſe, quod cap. 7. dixeram, Hobbium ex ſubditis facere mancipia, imò plus quàm mancipia imperantis. Conſ.

cap. 8. art. 3. 4. Sed 2. unuſquiſque habet imperium & dominium in ſuam conſcientiam, in actus elicitos intellectus & voluntatis: ergone tantum habet & imperans? vel an ſubditus illud imperium tranſtulit in imperantem, & ſe eo ſpoliavit? ſed hoc planè omni pietati repugnat. 3. Quod ſi tantum habet princeps imperium in ſubditos, quantum unuſquiſque mortalium habere poteſt in ſe ipſum, ſequitur quòd Princeps ſubditis injuriam poſſit facere & non facere; non facere, quia nemo ſibi ipſi injuriam poteſt facere, ſeu *volenti non fit injuria.* cap. 3. art. 7. facere; quia *injuria eſt pacti violatio.* cap. 3. art. 4. at Princeps ſubditis pacto eſt obſtrictus, quod violare poteſt. Dices, Principem ſubditis pacto non eſſe obſtrictum: at ego dico; ergo neque ſubditos Principi, quia omne pactum eſt mutuum; per art. 9. cap. 2. 2. Dices ſubditi ſe invicem ſibi mutuo pacto obſtrinxerunt de non reſiſtendo voluntati imperantis. cap. 5. art. 8. At ego dico, ergo ſubditi ſaltem imperanti

Digitized by Google

non poſſunt facere injuriam; ſed contrarium aſſeris, cap. 3. art. 4. Vocas tantum imperium, *abſolutum*; & meritò: nam reverâ abſolutum eſt illud imperium, quod nullis nec naturalibus, nec civilibus legibus obſtrictum ex mero voluntatis arbitrio de omnibus poteſt diſponere, nec ulli æquitati eſt alligatum: ſed quis Politicorum, qui vel maximè abſolutum imperium Principi concedendum cenſuerunt, tale abſolutum imperium in Principe agnovit? profectò brutale eſt magis, quàm homine principe dignum. Sed videamus argumenta, quibus abſolutum illud imperium in Principe conatur adſtruere. *Arg.* 1. Quia *omnes cives ita abſolutè voluntatem ſuam voluntati Civitatis ſubjecerunt, ut quidlibet poſſit impune facere, leges condere, lites judicare, pœnas ſumere, viribus & opibus omnium ſuo arbitrio uti, atque hæc omnia jure. Reſp.* 1. Tam abſolutam ſubjectionem voluntatum civium ad voluntatem imperantis negamus: habet enim & populus ſuam Majeſtatem realem legibus

bus fundamentalibus contra licentiam imperantis munitam, & perſonali Majeſtati imperantis contradiſtinctam. Vide th. 3. & 2. nego conſeq. Nam manifeſtè hoc argumentum tam abſolutam poteſtatem non evincit, qualem deſcripſiſti. 3. Quod jure imperans pro arbitrio ſuo viribus & opibus ſubditorum poſſit uti, id tyrannicum eſt; & nititur falſâ hypotheſi; ſc. *nemini aliquid proprium eſſe contra eum, qui ſummum habet imperium.* cap. 6. art. 15. Vide 1 Reg. cap. 21. hiſtoriam de vineâ Nabothi: nam certè aliud imperium eſt, aliud dominium; & Rex director magis, quàm dominus exiſtit: Rectè Seneca 7. de benef. c. 5. *Sub optimo Rege omnia Rex imperio poſſidet, ſinguli dominio.* Cum Molina de juſt. & & jure tract. 2. diſp. 3. n. 7. *Dominium juriſdictionis* imperanti concedimus, non autem proprietatis; quòd nimirùm bona à ſubditis non alio jure poſſiderentur, quàm olim peculia à ſervis. vide *Beſold. Syn. Pol. in præcogn. Arg.* 2. Petitur ab experientiâ per om-

nes

nes civitates, quæ ſunt, vel fuerunt unquam. *Reſp.* Experientia manifeſtè nobis favet: ubi quæſo, in quo imperio imperans aut Princeps habet, aut habuit unquam talem poteſtatem, qualem tu deſcripſiſti? in Iſraelitico imperio contrarium patet, & in aliis omnibus modernis imperiis, & ſi alicubi tam abſoluta poteſtas in Principe reperiretur, maximè in Dominicâ Monarchiâ; ſed rectè oſtendit Beſoldus, quòd nec Dominica Monarchia careat reali Majeſtate. Synopſ. lib. 1. cap. 1. th. 9. nihil ergo roboris eſt in hâc experientiâ. *Arg.* 3. *Sublaltâ hâc potentiâ, unâ tollitur civitas, & redit confuſio omnium rerum; nam niſi abſoluta ſit hæc Principis poteſtas, jus imperii fruſtra foret conceſſum: & exinde naſcitur etiam obligatio ad ſimplicem & abſolutam in omnibus obedientiam Principi præſtandam.* addit; *hujuſmodi obedientiam quibuſdam de cauſis negari jure poſſe: aliud enim eſt, ſi dico: jus tibi do quidlibet imperandi: aliud ſi dico; faciam quicquid imperabis.* *Reſp.* 1. Sublatâ, dicis, hac potentiâ

unâ

unà tollitur *civitas*; quid ſi ego dicam, poſitâ illâ potentiâ, tollitur omnis *pietas?* impium enim eſt, ſubditos cœcâ quadam obedientiâ unicè & in totum dependere à voluntate & nutu imperantis: nec 2. effugis diſtinctiunculâ tuâ: *aliud eſt &c.* nam ſi jus dedero Principi quidlibet imperare, etiam me obſtrinxi, quidlibet imperanti: nam aut jure aut injuriâ imperabit Princeps, ſi jure imperat, injurius ego ſum, qui jure imperanti non obedio; ſi injuriâ, ergo ego non intelligor imperanti jus tale quid imperandi dediſſe. rurſus: jus tale & debitũ ſunt relata & relata ſunt ſimul natura, ergo ſi tale jus obedientiam à me exigendi eſt in Principe; in me eſt obligatio ad obedientiam Principi præſtandam. 3. Quod dicis, ſublatâ illâ potentiâ, civitatem unà tolli & redire confuſionem rerum, manifeſtæ repugnat experientiæ. 4. Negatur quòd fruſtra ſit imperium, niſi in omnibus ſimpliciter Principi obedientia præſtetur; quid ſi ego ſic argumentarer: fruſtrà eſt imperium, niſi tanta debeatur

obe-

obedientia, ut nullis de cauſis jure obedientia Principi negari poſſit; quod ſi dicas, uti dicis, imperium propterea fruſtra non eſſe conceſſum; ſic & ego dico, non fruſtra conceſſum eſſe imperium, ut ut ſimplex illa in omnibus obedientia principi præſtanda non ſit: argumenta quæ ex Scripturâ Hobbes producit tanti momenti non ſunt; Potiſſimum eſt illud ex 1 Sam. 8. ſed ad illum locum reſponſum eſt à me *in diſſ. priori de Lege in Communi*, & ab aliis viris doctis, & noviſſimè *à Rev. & Clariſſ. D. Giſb. Voetio in diſput. peculiari ad eum textum*, quam hìc cum bonâ ipſius veniâ ſubjungo.

An-

Annexum.

PRO abſurdo duxi nus theſ. 1. In ſtatu naturæ ante leges civiles peccari non poſſe contra 6. præc. de non committendo homicidio : juvat hoc nunc preſſius urgere : prob. ergo, *Primò* Omnium conſenſu, ut juſtum ſit homicidium, debet fieri authoritate publicâ ; ſed nulla talis authoritas eſt in ſtatu naturæ : *omnes enim homines ſunt naturâ inter ſe æquales : inæqualitas quæ nunc eſt, à lege civili introducta eſt*, per art. 3. c. 1. *Secundò*, cauſa debet eſſe gravis ac juſta ; at quis dicat cauſam gravem & juſtam eſſe ei, *cui voluntas lædendi eſt ab inani gloriâ, & falſâ virium æſtimatione*, cap. 1. art. 4. adeoque peccare non poſſe committendo homicidium. Obj. *Status naturæ eſt ſtatus belli*, cap. 1. art. 12. ſed in tali ſtatu jus mihi eſt omnia faciendi, & poſſidendi; adeoque proximum occidendi, ſiquidem ipſe id ad mei conſervationem neceſſarium eſſe judicavero. Reſp. 1.

Pro-

Probandum erat primùm bellum in ſtatu naturæ ex utrâque parte eſſe juſtum; at qui injuſtum bellum gerit, peccat contra 6. præc. 2. Nego juſtè factum id omne eſſe, quod ad mei defenſionem neceſſarium eſſe judicavero; ſequendum dictamen rectæ rationis. Verùm in eo erravit Hobbes, quòd voluerit menſuram juris, ſeu rectæ rationis, eſſe vitæ & membrorum defenſionem; cap. 1. art. 7. Cùm contrà recta ratio juſtæ mei defenſionis menſura eſſe debeat. 3. Perplexitas illa, quâ ſinguli ad mutuam invaſionem neceſſitarentur in ſtatu naturæ, non magis debet excuſare à peccato, quàm perplexitas conſcientiæ errantis: cùm enim neceſſitas illa ſit hypothetica tantùm, & per accidens pravitatis humanæ enata, non debet præjudicare legi naturæ de non committendo homicidio. Idem, ſi opus eſſet, probarem de aliis præceptis Decalogi.

CO-

COROLLARIA
Contra Hobb.

1. SOcietatis civilis initium non eſt tantùm, aut principaliter, à mutuo metu, cap. 1. art. 2. Quod vel inde conſtat, quòd etiam in ſtatu innocentiæ fuiſſet Reipubl. quædam forma: ut Thomas rectè part. 1. quæſt. 96. art. 3.

2. *Damnatus eſt Pelagius in Synodo Africanâ, quòd eatenus tantùm Gratiam admiſerit, quo facilius poßimus implere per gratiam, quod jubemur facere per liberum arbitrium*; ut fatetur Grotius diſq. ad Pelag. dogm. Sed Pelagium ſuperat Hobbes, cap. 12. art. 6. dum dicit, *fidem & ſanctitatem ſtudio & ratione naturali acquiri; non ſupernaturaliter hominibus infundi, vel inſpirari. Vide Epheſ.* 2. 8. *Phil.* 2. 12. 13. 2 *Cor.* 4. 13. 1 *Cor.* 12. 3. 1 *Cor.* 2. 14.

3. Rectè diſtinguunt noſtri Theologi obedientiam Chriſti in activam & paſſivam, ſumtâ denominatione à mate-

materiâ, ſive objecto: neque enim ſecùs potuiſſet expiare peccata noſtra, & nobis jus vitæ æternæ impetrare. Inanis eſt ergo omni pietate Hobbes, qui diſtinctionem obedientiæ in activam & paſſivam inanem vocat, cap. 14. 23.

4. Norma Juris, & juſtè facti, non eſt defenſio vitæ & membrorum; cap. 1. art. 7. Hinc ſequitur, 1. Malè definiri ab illo Legem naturalem, *Dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda vel omittenda ſunt ad vitæ, membrorumque conſervationem, quantum fieri poteſt diuturnam*; cap. 2. art. 1. 2. Falſum eſſe, quod juſtè damnatus ad mortem ſe jure poſſit defendere cum offenſione judicis, aut miniſtrorum juſtitiæ: cap. 2. art. 18. 3. Falſum eſſe, Ergaſtulos ſi aufugerint, aut dominum interfecerint, nihil facturos contra leges naturales; cap. 8. art. 4. Sextum enim & octavum decalogi præceptum (idem intellige, de quinto, ſeptimo & nono) ſunt ſimpliciter leges naturales; nec eatenus tantùm naturales, quatenus legis natu-

ralis

ralis eſt, pactis ſtandum eſſe. cap. 14. art. 9. Alias enim contra *Juris naturalis primum fundamentum* faceret, qui vitam pro patriâ aut Eccleſiâ poneret. Vide Joan. 10. v. 11. & 15. v. 13. 1 Joh. 3. 16.

5. Ineptum eſt quod ait Hobbes cap. 9. art. 2. Dominium in infantes ejus eſſe, qui primus eos in poteſtate ſuâ habet; & art. 6. natos matris, non patris eſſe; niſi pacto, aut lege civili, aliter ſtatuatur.

6. In Statu merè naturali non licet unicuique facere quęcunque & in quoſcunque libet, cap. 1. art. 10. Hinc ſequitur, 1. in ſtatu belli (qui juxta illum eſt ſtatus naturæ) non licere innocentes occidere; Exod. 23. v. 7. Deut. 22. 23. aut ſimpliciter omnibus ſuis bonis ſpoliare; Luc. 3. 14. 2. Non eo in moderamine legitimæ defenſionis juſtè occidi proximum, quòd tali caſu cenſeatur jus primævum reviviſcere.

7. Num prima & fundamentalis lex naturæ ſit, ſeu ſumma legis Divinæ, quærendam eſſe pacem; cap. 2. art. 2. & 4.

Digitized by Google

& 4.art.3. an potiùs amor Dei & proximi? Neg. prius: Aff. poſt. cum Chriſto, Matth. 22. 36. & Apoſt. 1. Tim.1.5. Rom. 13.8. Ineptè ergo bonitas actuum in eo ponitur, quòd ſint in ordine ad pacem; malitia, quòd ſint in ordine ad diſcordiam; cap.3. art.32. vide Matt. 12.26.

8. Num fruſtrà voveamus quod lege aliquâ Divinâ præceptum eſt; cap.2. art.13.? Neg. Gen.28.v.20.21.22. Pſ. 119. v. 106. Neh. 10. v.29. quin res, ſimpliciter ut indifferentes conſideratæ, non debent Deo voveri. Vide Ameſ. caſ. lib.4. cap.16.

9. An leges naturales non obligent ultra conatum verum & conſtantem, adeoque faciles ſint obſervatu, ex Mat. 11.28,29,30. cap.3. art.27.30. cap.4. art.22.? Neg. Luc. 10. 27. Rom. 8.7. Eccl.7.20. Rom.7.18.

10. An homines legitimè poſſint ita ſimpliciter & in omnibus voluntatem ſuam unius hominis voluntati ſubjicere, ut ipſius voluntas in omnibus pro voluntate omnium habenda ſit? cap.5.

art.

art.6.7.8.9.10.11.Neg. Hinc ſequitur; *Primò*; Non eſſe impoſſibile legem civilem quicquam jubere contra legem naturæ; ſaltem contra legem hanc, *pactis ſtandum eſſe*, c.14. art.10. 2. Teneri ſubditos non obedire Magiſtratui, etiam in iis, quæ, ex illius mente, indirectè tantùm tendunt in contumeliam Dei; ut ſi imperet idololatriam; cap. 15. art. 18. *Tertiò*, Falſum eſſe, 1. Magiſtratum in ſubditos, cap. 7. art. 14. 2. Dominum in ſervos, cap. 8. art. 7. 3. Parentem in Filios, injurios eſſe non poſſe, cap. 9. art. 7.

GISBERTI VOETII DISQUISITIO TEXTUALIS *Ad* 1 *Samuel* VIII. V. 11-19. DE *Jure Regio Hebræorum*.

A°. 1653. 26. Octobr. in Acad. Ultrajectinâ publicæ diſput. ſubjecta.

Cum textus hic frequenter à theologis & politicis, ſed variante interpretatione, allegari ſoleat: operæ pretium facturi videmur, ſi in genuinum ejus ſenſum accuratius inquiramus: quod compendio fiet, ſi duo capitalia hæc dubia diſſolvamus. Sunt autem iſta I. *An verba Samuelis contineant legem moralem atque immutabilem, in qua jus divinum & naturale omnium regum immutabiliter fundetur, cui omnes omnium hominum conſcientiæ ſe ſubjicere debeant.* II. *An ſi verba hæc in hypotheſi tantum ſpectent populum & politiam Iſraelis, contineant legem regiam*

 Iſraeli-

Iſraelitarum divinitus præſcriptam, quæ in populo illo fundaret jus divinum, quo conſcientiæ omnium in iſta politia abſque exceptione obligarentur. Prius dubium eſt circa doctrinam & legem Dei univerſalem, quâ conſcientiæ omnium tenerentur atque adeo longe majoris momenti. Poſterius eſt hypotheticum circa hiſtoriam ſacram, & factum particulare regis & ſubditorum in Iſraele, an conſcientiæ eorum ad tale quid tenerentur, nec ne; atque adeo minoris momenti.

SECT. I.

Quod ad prius dubium, ſunt multi qui partim tacite præſupponunt, partim exſerte determinant omnium regum perpetuam & illimitatam poteſtatem in ſubditorum corpora & bona, ſeu circa onera ſubditorum à Deo immediate hic præſcribi. Sed hanc ſententiam ex analogia tum hujus textus tum ſcripturæ non rite educi, quin potius ei repugnare iſtis ratio-

Digitized by Google

nibus evincimus 1. *Rat.* Quia textus dicit, populum Iſraeliticum, occaſione arrepta ex præfectura & adminiſtratione filiorum Samuelis petiiſſe ſibi regem, qui ſecundum morem aliarum gentium ipſis præeſſet v. 4. hocque ipſorum conſilium & poſtulatum diſplicuiſſe Samueli & Deo v. 6.7.8. eoque nomine Iſraelitas reprehenſos culpam ſuam agnoviſſe cap. 12. v. 17.19. Conceſſum tamen regem in Dei indignatione v. 8.9. cum Hoſeæ 13. v. 11. eumque non ſine aliquo pacto conventionali conſtitutum & inthronizatum 1 Sam. 10. v. 25. *& locutus eſt Samuel ad omnem populum legem regni, & ſcripſit in libro.* Quæ omnia arguunt non agi in theſi de quovis rege aut regno, ſed tantum iſto Iſraelitico. *Excipiat* forte quis, quæ divinitus de rege & regno Iſraelitis præſcripta ſunt pariter ad omnes Reges & Principes applicanda. *Reſp.* dato non conceſſo, eſſe divinitus conſtituta (de quo ad 2. quæſt. agendum) nihil aliud tamen hinc inferretur quam jus divinum ſpe-

ciale quo iſte populus, cui lex illa poſita & in quem talis regiminis forma introducta, teneretur. Quod alios quoſcunque populos & reges in forma & ſpecie non magis obligat, quam reliquæ omnes leges forenſes Moſaicæ, (de quarum abrogatione alibi agendum); aut immediata deſignatio & electio regis per extraordinariam Dei revelationem, & per ſortem; aut regis inſtitutio & unctio per prophetam & populi judicem; aut prohibitio multiplicandi equitatus Deut. 17. v. 16. aut prohibitio eligendi regis ex alienigenis, ibid. v. 15. aut prohibitio tranſitus de regimine ariſtocratico-democratico in regium. 1 Sam. 8. v. 7. 8. 9. 1. *Rat.* Quia ſpecialis modus ſeu ſpecies & forma regiminis huic aut illi populo, regioni, civitati, pro ratione circumſtantiarum aptanda, eſt κτίσις ἀνθρωπίνη. 1 Pet. 2. v. 13. atq; adeo non eſt directe & immediate juris divini moralis ſive naturalis ſive poſitivi, ſeu non eſt juris univerſalis, immutabilis ac perpetui; ſed tantum eſt juris divini permiſſivi, ſe-

cun-

cundum quod jus poſitivum humanum conſtituitur à lege regia ſeu ſundamentali Principatus; & hæc à pacto conventionali communitatis. Probatur, quia jus divinum morale & perpetuum, ſi quod hic eſſet, dicendum eſſet fundare aut quamvis regiminis formam tum monarchicam tum polyarchicam, eamque ariſtocraticam aut democraticam; aut ſolummodo regimen monarchicum ac regium. Si prius dicatur, jam habeo quod volo; indifferens ſcil. eſſe jus divinum ad quamvis regiminis formam conſenſu & pacto conventionali communitatis, ſive eorum ad quos hoc pertinet, libere & rite hic & nunc inſtituendam; & conſequenter quodlibet regimen politicum quod ad ſpeciem & formam eſſe in ſe & ſua naturâ indifferens, moraliter nec malum nec bonum, lege divinâ immediatè nec prohibitum nec præceptum. Sin poſterius dicatur, ex tabulis juris divini probanda eſſet lex illa moralis de regimine regio ſeu monarchico, omnibus populis, omnibus

conſcientiis cœlitus impoſita. Intereà dum hoc nondum præſtitum eſt, uti in æternum non præſtabitur, conſideranda duo maxima abſurda hujus opinionis conſequentia: 1. Omnem formam regiminis politici, quæ non ſit regia & monarchica, directe adverſari juri divino; & conſequenter eſſe in foro conſcientiæ illicitam tum conſtituentibus, tum capeſſentibus, tum defendentibus eandem. 2. Formam Iſraelitici regiminis à Moſe uſque ad Samuelem hactenus malam, illicitam, juri divino repugnantem, & Deo diſplicuiſſe; ac conſequenter placuiſſe illam mutationem ſeu emendationem in melius ſcil. quam populus moliebatur. Quod conſequens abſurdiſſimum eſt, & aperte repugnat. 1 Sam. 8. vers 6. 7. 8. & 12. vers 17. 18. coll. cum Hoſe. 13. vers 11. *Objicitur* vulgo ab illis qui monarchiam ita extollunt, ut omnes alìas legitimas & optimè convenientes regiminis formas condemnent aut ſaltem contemnant, Proverb. 8. vers 14. 15. *Reſp.* textus loquitur de majori-

Digitized by Google

joritate, & poteſtate Magiſtratus, non de hâc aut illâ formâ Magiſtratus: quarum illa directe eſt juris divini & quidem moralis ac perpetui; iſta vero, Deo hominibus hoc permittente, eſt juris merè humani ac poſitivi, quod ad ſpecialem pro neceſſitatibus rerum ac perſonarum, earumque circumſtantiis determinationem atque applicationem. Haud aliter ac conjugium Caji & Sejæ eſt juris divini in genere: ſed eſt juris humani, quod ad liberum Caji cum Sejâ, non vero aliâ, & vice-verſa Sejæ cum Cajo in ſocietatem conjugalem conſenſum. Sicuti hic Conſul alicujus urbis poteſt dici à Deo eſſe jure poſitivo divino quoad poteſtatem & majoritatem in genere; non tamen quod ad ſpecificationem talis ac tantæ in hac urbe poteſtatis, aut quod ad applicationem poteſtatis conſularis ad talem perſonam, & non ad aliam. In duobus enim illis intercedit ſtatutum & arbitrium humanum. Hanc ſolutionem ſuppeditat ipſe textus Prover. 8. vers 15. 16. cum adduntur hæc verba:

omnes judices terræ. Unde nullus theologus inferet judices, conſiliarios, & præfectos omnes immediate à Deo ſolo conſtitui & dependere, eorumque poteſtatem quod ad quantitatem, qualitatem & modum immediate à jure divino poſitivo in ſpecie determinatam eſſe. Diſtinctionem neceſſariam hanc ſuggerunt loca inter ſe collata Rom. 13. vers 1. 2. & Proverb. 8. vers 15. 16. cum 1 Petr. 2. vers 13. 14. Ubi omnis poteſtas dicitur eſſe à Deo, & creatura ſeu ordinatio humana: quod utrumque æque regibus ac præfectis, & vice verſa applicatur.

Conſectar. Ex dubio hoc expedito ſequitur perperam & fruſtra textum 1 Sam. 8. ad regum omnium, qua talium, pleniſſimam, indefinitam, abſolutam, & quaſi infinitam poteſtatem probandam à Barclajo *in tract. de regno & regali poteſtate*, adduci: ut etiam à Waremundo ab Eerenberch *tract. de regni ſubſidiis ac oneribus ſubditorum &c. contra Bartolum, Bodinum, Roſſæum, Brutum, Zepperum & alios*, ad probandam.

Digitized by Google

dam onerum impoſitionem. Quidquid enim ſit de jure majeſtatis abſoluto aut limitatio, magis aut minus, deque coërcitione aut non coërcitione regum ſive omnium, ſive aliquorum, aut quorumvis dominorum ſupremorum, quocunque titulo inſigniantur, (de quibus omnibus Politici & Jure-conſulti diſceptare ſolent, & nos in præſentiarum non diſquirimus): nos hoc ſolum contendimus, legem quam putant regiam divino atque immutabili jure hic omnibus univerſum Principibus & ſubditis fixam non eſſe: ideoque ab allegatione hujus præſumtæ legis non ſatis lectæ, aut non intellectæ in tanti momenti controverſiis decidendis, abſtinendum eſſe, tanquam plane alienâ; & aliunde ex jure divino & naturali argumenta conquirenda, quibus conſcientiæ ſatiſfieri queat.

Alterum dubium, An hæc verba præſcribant jus divinum particulare regibus & ſubditis Iſraeliticis neceſſario obſervandum, non minus quam aliæ quæcunque leges forenſes Moſaicæ. 2.

Nos negamus ducti iſtis rationibus. 1. *Rat.* Quia prædicitur tanquam plaga divinitus infligenda, & tanquam malum humanitus exſpectandum ac metuendum, & quod ut plurimum tali in caſu accidere ſolet, & apud gentes vicinas ita accidebat: quo allegato inconvenienti, eos abſterrere voluit à regio Gentium imperio,& à malo hoc conſilio, quod Deo ſummopere diſplicebat, abducere. Vide vers 6. 7. 9. 18. Quod ergo tanquam inconveniens, & conſequens damnoſum prædicitur atque allegatur;illud non eſt moraliter ac honeſte bonum, nec talis prædictio aut allegatio prophetæ Samuelis habet rationem ſtatuti aut mandati Dei divinitus ipſi revelati, ut regibus & ſubditis Iſraêlis tanquam legem fundamentalem ac perpetuam præſcriberet. Haut aliter ac prædictio, præmonitio, ac ratio diſſuaſoria Chriſti Luc. 22. vers 34., de abnegatione Petri, non eſt mandatum Chriſti,nec Petro jus tribuit abnegandi. Et ſic de aliis quam plurimis malis per prophe-

tas paſſim prædictis judicandum: ubi Dei juſta malorum gubernatio atque immiſſio, eorundemque prædictio, hominibus jus peccandi aut immunitatem non tribuit. 11. *Rat.* Propter quod ad Deum clamabunt, ut ab eo liberentur tanquam malo, illud non eſt lex divina à Deo ſummo & ſanctiſſimo legiſlatore lata atque impoſita; nec conſequenter fundat jus divinum. Sed propter illud factum regis quod hic refert Samuel, clamabunt ad Deum &c. vers 18. Ergo. Conſequentia probatur. Quia omnes leges divinæ morales, politicæ, ceremoniales, erant ſummâ cum ſapientiâ, juſtitiâ, benignitate, æquitate illi populo latæ; & conſequenter non debebant conqueri de iis legibus, nec ad Deum clamare, ut ab iis atque effectu & executione earum liberarentur: hæc enim aperta fuiſſet θεομαχία & rebellio: ſed contra in talibus ſtatutis tanquam eximia prærogativâ & peculiari peculio ac previlegio unice gaudere & exultare cum gratiarum actione. Vide Pſal.

19. vers 8. & 119. vers 14. & 147. 19. 20. III. *Rat.* Mos, Conſuetudo & præſumta lex ſeu potius uſurpatio regum Gentilium, præſertim in vicinis nationibus, erat ut plurimum dura, iniqua, & ryrannica; ſi non in totum, ſaltem ex parte: atqui lex regia Iſraelitàrum ut & omnes reliquæ leges politicæ à Deo latæ erant juſtæ, nullibi divino juri aut naturali æquitati repugnantes, Pſal. 19. & 119. modo cit. Jam vero relatio Samuelis continet conſuetudinem & uſurpationem regum Gentilium, quales poſtulabant Iſraelitæ & Deus ipſis in irâ ſuâ conceſſit vers 5. *nunc conſtitue nobis regem, ad judicandum nos, ſicut omnes gentes.* Atqui tales ſive leges ſive conſuetudines regum Gentilium erant injuſtæ, iniquæ, à jure honeſtatis divino ac morali longe recedentes: uti conſtat ex hiſtoriis. Quas notatas vide apud Bodinum lib. 2. Politicæ cap. 2. Cum ergo mores, conſuetudines, facta, uſurpationes regum Gentilium relata à Samuele, repugnent juri divino

morali,

morali, & naturali legi caritatis, juſtitiæ, æquitatis conſequenter illis κοιναῖς ἐννοίαις (*Neminem ledere, ſuum cuique &c.*) non poteſt dici lege divinâ particulari ſeu politicâ hæc præſcribi: nulla enim lex divina Iſraelitis lata eſt, quæ repugnet legi æternæ morali immutabili. Antecedens probatur, quia lex moralis præcipit, ut quiſque juſtus ac pius, imprimis & peculiari ratione Magiſtratus tueatur vitam, libertatem, & bona proximi ſibi commiſſi Rom. 13. vers 3. 8. cum Philipp. 2. 3. & 1. Corinth. 13. vers 4. 5. Et faciat omnia quæ ſibi fieri velit Math. 7. 12. IV. *Rat.* Quia factum hoc regum à Samuele relatum repugnat ſpeciali legi politicæ à Deo Iſraelitis latæ. Deutern. 17. vers 16. 17. 18. &c. ubi prohibentur efferre ſe ſupra fratres, eoſque gravare &c. Ergo non eſt lex politica à Deo Iſraelitis lata & in conſcientiâ obligans. Neque enim repugnare poteſt lex politica Iſraelitarum à Deo lata, uti præſumitur, alteri legi politicæ, quæ à Deo eidem populo

circa

circa eandem materiam, hoc eſt circa poteſtatem regiam, in primà conſtitutione Reipublicæ Iſraeliticæ lata erat. Jam vero Deuteron. 17. legem Regibus iſtius populi latam eſſe utrimque in confeſſo eſt: ſed de præſenti textu non eſt in confeſſo: eſt ergo hic textus qui præmonitionem Samuelis continet ad legem primigeniam à Deo per Moſem promulgatam reducendus atque ex eo explicandus; non vice verſa. Vidit hoc Barclayus, qui diſtinctione adhibitâ τὰ ἐναντία conciliâre ſtudet. Quam diſtinctionem mox excutiemus. V. *Rat.* Quia ſi jus regum Iſraelis divinitus ipſis conceſſum & per os Samuelis propoſitum hoc textu continetur: ſequeretur regum illorum abſolutam & illimitatam fuiſſe poteſtatem, talemque in ipſis in primâ electione & regni ſuſceptione à populo fuiſſe agnitam, & præſuppoſitam; abſque ullâ conditione ſub quâ reges aut primum eligerentur aut per ſucceſſionem quaſi electi & deſignati admitterentur. Sed poſterius eſt abſurdum: Ergo & prius.

prius. Veritas conſequentiæ patet, quia omnis conditio per legem regiam ſeu fundamentalem regi à populo aut proceribus fixa, cui aſtringere ſe debeat & ſub quâ ſolâ ad regnum admittatur, infert mutuam pactionem ſeu conventionem ſeu capitulationem initam inter regem & populum, ſeu contractum mandati (uti vocat Althuſius cap. 19. politic. 12.); conſequenter è diametro repugnat regiæ poteſtati independenti, abſolutæ, illimitatæ in ſubditos. Nam qui per dictam pactionem ſeu conventionem legi illi ſubjicitur, eâque conditione non impletâ ab alterâ parte ſubjectionem & obedientiam tantum ſub conditione promiſſam à ſubditis jure poſtulare nequit: illius poteſtas non eſt ſimpliciter abſoluta, illimitata, arbitraria. Vide conſenſum politicorum de lege regia, deque pactione, & mutua conventione, apud Reinkingh lib. 1. de regim. ſæculari claſſ. 3. cap. 9. Bodinum lib. 1. de Republ. cap. 8. Beſoldum lib. 1. Politic. c. 8. §. 2. Althuſium

ſium Polit. cap. 19. Tholoſanum lib. 7. de Republ. cap. ult. Nucleum diſcurſuum &c. Gieſſæ ab Hampelio a. 1621. editum, & ibi priores quinque diſcurſus, inter eos Joachimi Clutentit. *De ſtatu imperii Romani ſylloge* &c.

§. 16. Jam vero reges Iſraelis non ſine capitulatione & mutua pactione fuiſſe admiſſos, regnumque illud fuiſſe pactionatum non abſolutum, conſtat ex 1 Sam. 10. vers 25. *Et propoſuit Samuel populo judicium*, ſeu *legem regni & illam ſcripſit in libro.* Et 2 Sam. 5. vers 3. *Venerunt quoque omnes ſeniores Iſraelis ad regem in Hebron, quibuſcum pepigit rex David fœdus in Hebron coram Jehova &c.* 2 Reg. 11. vers 17. *& fecit Jojada pactum inter Deum & regem & populum, etiam inter regem & populum.* v 1. *Rat.* Quia arbitraria illa agrorum à legitimo poſſeſſore ad alienos tranſlatio, qualis inter gentes, imprimis in Aſiâ & Africa, tunc & etiam hodiè uſitata, præjudicat & repugnat juri divino forenſi Iſraelitarum, de non abſolute alienandis agris. Levitic. 25. vers

23. de-

23. deque vindicatione eorundem per proximos cognatos. vers 25. 26. & reſtitutione tempore Jubilæi vers 28. Iſtis legibus immediatè à Deo Iſraeli latis omnes obtemperare tenebantur, reges æque ac ſubditi. Non poteſt ergo arbitraria illa alienę poſſeſſionis invaſio & alienatio (quæ regum moribus tribuitur 1 Sam. 8. vers 14. qualemque ſtolidè ac pręfractè ex contentione, contra Samuelis præmonitionem, petebat populus vers 20. *& erimus etiam nos ſicut omnes gentes*, cum Deuter. 17. vers 14. *ut omnes gentes, quæ circum me*) ad jus divinum revocari; cum ei tam exſertè repugnet. Quod ſi quis *excipiat* agros, domos, poſſeſſiones civium ad bonum publicum aliquando aut per modum pœnæ, aut extremæ neceſſitatis cauſâ juſte alienari: *reſpondeo*, talem alienationem non eſſe arbitrariam aut ad privatam regum ac magiſtratuum utilitatem; conſequenter non eſſe oppreſſionem & violentum jugum, à quo populus in communi per Deum liberari vellet.

Atqui

Atqui talis eſt illa ablatio & alienatio, de quâ loquitur Samuel. cap. cit. vers 14. 17. VII. *Rat.* Quia exemplo Nabothi regi Achabo poſtulanti agrum ipſius (& quidem non ſine emtione, aut æquivalente compenſatione ac permutatione) recuſantis juxta legem Levitic. 25. 23. approbato à Deo cum improbatione injuſtitiæ Izebelis arbitrariam illam invaſionem improbè ſuadentis & Achabi eam exequentis, valide evincitur jus divinum Regum ſive generale ſive particulare, non extendere ſe ad bona ſubditorum pro arbitrio & ad privatam utilitatem invadenda; uti 1 Sam. 8. vers 12. 14. 16. factum ſeu mos eorum refertur. Vide 1 Reg. 2. vers 15. 16. cum vers 19. 23. 25. Ubi Nabothi negantis cauſa juſtificatur, & Achabi condemnatur: quod fieri non poſſet ſi juris regum fuiſſet agrum Nabothi pro arbitrio & gratis ſibi ſumere: hoc enim in caſu Nabothus graviſſime in jus regium & divinum peccaſſet, & meritò punitus fuiſſet. VIII. Accedat conſenſus autorum,

rum, qui in verbis Samuelis non *præceptum* aut præſcriptionem nomine Dei promulgatam agnoſcunt, ſed tantum *relationem & præmonitionem*, non de jure, aut lege divinâ, ſed de facto; aut non de jure divino, ſed de conſuetudine, aut moribus regum juxta morem & exemplum aliarum Gentium, quæ jus politicum divinum & regiam libertatis ac caritatis legem per Moſem Iſraelitis traditam ignorabant. Et ſunt tranſlatores, notarum ſcriptores, commentatores, locor. comm. ſcriptores &c. qui vocem משפט exponunt *morem* aut *conſuetudinem*, aut *rationem ac modum* agendi, aut *jus uſurpatum*. Tranſlatores ſunt Junius ac Tremellius, Arias Montanus, Tranſlatio Gallica, Anglica, Belgica, Italica Deodati. *Notæ*, Johannis Benedicti, Johannis Haræi, Joh. Marianæ, Andr. Oſiandri, Piſcatoris, Deodati, Anglicæ, Belgicæ, Joh. Druſii, Vatabli; qui poſtremus noſtram expoſitionem proponit tanquam convenientem, ſed pro ea ut unicâ & neceſſario amplectendâ non deter-

determinat. Munſterus cum Hebræis quibuſdam exponit, *decretum, ſtatutum*, ſcil. regis: quod non eſt *jus* niſi uſurpatum & arbitrarium. *Commentatores ſunt Abulenſis*, Petrus Martyr. Gaſpar Sanctius, Nicol. Serrarius ad loc. Quibus adde Zepperum in legum Moſaic. forenſ. expl. lib. 3. cap. 8. Pinedam in Eccleſiaſt. 2. vers 7. §. 3. Et de rebus Salomonis lib. 2. cap. 8. ubi pro eadem ſententiâ adducit Gregor. Magnum, Abulenſem, Hugonem, Dionyſ. Carthuſ. Adde & ex hiſtoricis ſacris & Chronologis Torniellum in annal. ad ann. mundi 2959. Bullingerum in epitome temporum, & Sulpitium Severum. Adde & nonnullos Rabbinos: de quibus theſi ſequ. *Locor. commun. & controverſiar. ſcriptores* Muſculus tit. de lege, ad primum præc. Daneus Iſagog. part. 1. lib. 4. cap. 49. Huc refer Thomam cum ſcholaſticis ad 1. 2. qu. 105. art. 1. & 2. ubi conferendi Cajetanus, Valentia, Medina, Malderus: qui poſtremus de virtutibus theolog. tract. 5. cap. 6. dub. 4. *ut jus*

regis

regis idem ſit quod judicium vel ſtatutum regis: ut non ſit conceſsio juris habendi à rege, ſed prædictio injuriæ à rege ſtulte à populo expetito inferendæ. Et Becanum in analogiâ V. & N. T. c. 16. qu. 8. ubi in terminis ſic loquitur: *fuit jus tyrannicæ poteſtates, quod reges Gentilium ſolent ſibi uſurpare.* Quod fuſius ibi explicat. *Caſuiſtæ*, Ameſius lib. 5. c. 5. Balduinus l. 4. c. 12. caſu, 4. Azorius part. 2. theol. moral. lib. 11. c. 4. Baptiſta Fragoſus in regimin. reipubl. Chriſtianæ part. 1. lib. 1. diſp. 1. num. 48. Quibus adde interpretes decalogicos, Danhauwerum colleg. decalog. diſp. 10. §. 5. *Politici*, ſunt Adamus Contzen. lib. 1. c. 15. Beſoldus lib. 1. part. 1. c. 1. §. 40. Ribadenira l. 2. princip. Chriſt. c. 4. Daneus lib. 1. Polit. Chriſt. p. 57. Althuſius c. 17. qui imprimis hoc agit. Particulares tract. & quæſt. qualis Magdeburgenſium de Jure Magiſtratus in ſubditos. Et an Princeps legibus ſit ſolutus, & de Juribus Majeſtatis, de regimine, de Juriſdictione, de tyrannide &c.

ſtudio

ſtudio hic prætereo. Ex *antiquis* Gregor. M. lib. 4. expoſit. in libros regum c. 1. Clemens Alexandr. l. 3. pædagogi cap. 4. *Petenti regem populo non humanum* (φιλάνθρωπον) *pollicetur dominum, ſed quendam ſe inſolentem daturum ipſis minatur tyrannum, voluptuarium* (τρυφητικόν) &c. Cyprianus epiſt. 65. ad Rogatianum: *Iratus dominus & dixit, non te ſpreverunt. Et ut hoc ulciſceretur excitavit ipſis Saul regem, qui eos injuriis gravibus affligeret, & per omnes contumelias & pœnas ſuperbus populum calcaret & premeret.*

3. Atque hactenus genuinum hujus loci ſenſum confirmavimus. Reſtat excutiamus diſſentientes aliorum interpretationes: quæ ſunt quatuor ſequentes; quarum duæ extremæ, duæ quaſi mediæ. *Prima* eſt Barclaji lib. 3. de regno & regali poteſtate cap. 6. Alberici Gentilis diſp. regia. 3. Et anonymi, de jure liberæ monarchiæ, qui notatur à Contzen loc. cit. qui contendunt hoc loco jus divinum regibus Iraelis à Deo tributum proponi:

ni: addit inſuper non nemo eſſe jus exemplare, ad quod omnes bene conſtitutæ reſpublicæ debeant conformari. Sed poſtremum illud in ſolutione prioris dubii reſecavimus. Studet autem Barclayus diſtinctione adhibitâ locum Deuter. 17. cum hoc præſenti conciliare. Quod ibi agatur de officio regis, deque jure imperandi, & quid rex facere debeat: hic vero de poteſtate regis abſolutâ nullis legibus alligatâ, ejuſque impunitate (quod ſcil. à nemine hic coërceri aut puniri poſſit) & conſequentur de jure parendi ſubditorum, deque eorum obſequio & patientiâ ſiquidem rex poteſtate ſuâ tyrannice abutatur. *Reſp.* 1. fruſtra divellit officium regis à poteſtate imperandi: ubi enim illud à Deo præſcribitur, etiam iſta præſcribi dicenda eſt; & vice verſa. Probet poſterius ſine priori in loco 1. Sam. 8. præſcribi à Deo, poteſtatem ſcil. regiam abſque officio regio, & prius Deuter. 17. præſcribi, officium ſcil. regis ſine poteſtate regiâ. Deinde probet jus imperandi divel-

divelli poſſe à jure parendi, jus majoritatis à jure ſubjectionis: hoc eſt, relatum eſſe ſine ſuo correlato, & uno poſito aut ſublato, non poni aut tolli alterum. *Reſp.* 2. Male & tyrannicè facere, & quidem cum impunitate, non eſt jus, nec fundat aliquod jus, nec fundatur in jure divino aut naturali, aut gentium, aut etiam civili. Nam ea quæ turpia ſunt, non exiſtimandum eſt nos poſſe facere, ut habet. *l.* 15. *de cond. & demonſtr.* Joab occidit Abner & Amaſa, & quidem impune, pro illo tempore: Et ſic Banditarum cohortes, manipuli furum &c. multa in agris & caſis ruſticorum impune faciunt, quia ibi nulla eſt potentia, quâ coërceantur. Multi etiam alii tum Magiſtratus, tum ſubditi impune aliquoties peccant, vel quod de delicto non conſtet, vel quod potentia puniendi non adſit, vel quod legibus permiſſio & tolerantia iſtius mali ſtatuta ſit. Sed quo ſtylo ſcripturæ, quo codicis, quo ſtylo Philoſophico (ſive Stoico, ſive Ariſtotelico, ſive Platonico) jus peccandi regi,

aut

aut populo tribuetur? An nefas, ſcelus, flagitium, peccatum clamans, dicetur eſſe juris divini, juris regii, juris fundamentalis regnorum & politiarum divinitus ſtatuti, præſcripti, collati, atque adeo ab omnibus, ubique & ſemper, examuſſim imitandi, juxta regulam: perfectiſſimum in unoquoque genere eſt menſura & exemplar reliquorum? Jam vero omnem tyrannidem imprimis abutentem eſſe ἀταξίαν, nefas, flagitium, peccatum clamans communi theologorum & politicorum calculo comprobatum eſt. Videant ne Deum faciant autorem ſcelerum, ſiquidem tyrannidem fundent in jure divino 1 Sam. 8. (uti perperam opinantur) præſcripto. Quod ſi *excipiant* Deum tantum permittere hoc malum in pœnam, & promulgare illam ſuam permiſſionem: reſpondemus, ex permiſſione & juſtâ atque efficaci providentiâ Dei circa malum, nullum jus peccato, aut peccatori naſci aut tribui. Alioquin dicendum eſſet Judæ proditionem, Pilati & Judæorum

Digitized by Google

rum injuſtam condemnationem, & occiſionem innocentis Chriſti fuiſſe juris divini. Quod ſi rurſum *excipiant*, Jus illud dici ratione populi, qui ex ordinatione & mandato divino debeat hanc oppreſſionem ferre, nec poſſit jugum illud excutere. *Reſp.* Jam populus erit ſubjectum juris regii, & non rex; itaque non erit dicendum jus regis, ſed populi aut ſubditorum tum collectim tum diſtributim. Adhæc, malum, damnum, cruciatus, paſſio, malum non impedire, non coërcere ſcripturariâ phraſi vocabitur jus, poteſtas, facultas, potentia: cum ſit & debeat dici juris & poteſtatis oppoſitum, ejus ſcil. carentia ac privatio, & ſic mera impotentia. *Reſp.* 3. quidquid hic dicitur de impunitate facti divinitus per juſtam Dei providentiam hoc peccatum comitante, eſt extra oleas: quia agitur & quæritur hic de ipſo facto regis in ſe & formaliter conſiderato; non vero de accidentario aliquo facti concomitante aut conſequente, quale eſt impunitas, quod ſcil. nemo

illud

Digitized by Google

illud punire debeat aut poſſit. Hoc e-nim totum eſt extra eſſentiam facti, quod in ſe inhoneſtum, injuſtum, illicitum, & moraliter malum eſt ac manet; conſequenter nullius juris, nedum divini juris; quidquid ſequatur aut non ſequatur. Rabbini aliqui injuſtitiam hanc regum Iſraelis hic probant: R. Joſe: in gemara *Sanhedrin* c. *cohen. Quidquid hic dicitur licebat ei facere.* Maymonides eodemfere tendit, quamvis paulo aliter. Alii tamen contrarium aſſerunt; uti fatetur R. David Kimchi in comment. ad locum. Ibidem R. Sel. Jarchi ait, hoc dixiſſe Samuelem *ut eos abſterreret*, iiſdemque *indicaret, quid facturus eſſet rex in regno ſuo confirmatus, &c.* Plerique ergo improbant & ſunt R. Juda, R. Leviben Gerſon, &c. quorum verba exhibet Schichardus cap. 1. de Jure regio Heb. theor. 1. & c. 2. theor. 7. p. 64. Rabbini aliter ſentientes, ex οἰκείοις & τοῖς ἰδίοις argui poſſunt; quæ tradunt regis poteſtatem varie limitatam, & non omnino legibus ſolutam fuiſſe, quippe qui omnibus di-

vinis legibus ſtricte eſſet adſtrictus (excepta lege fratriandi), & qui in jus vocari potuerit immo & vapulare: uti conſtat ex *Sanhedrim* c. 2. unde, aliiſque ex locis contra Caſaubonum hoc evincere conatur Schichardus cap. 2. theor. 7. & c. 4. theor. 14. Cum quo conferri poſſunt quæ de poteſtate magni iſtius concilii ex Rabbinorum placitis referuntur apud Cunæum lib. 1. de Republ. Hebræor. c. 12. Et apud Buxtorf. in lexico rabbin. Sed valeant opiniones Rabbinorum: quas ut & Schichardum refutat Joh. Friſchmuth in diſcurſu de regis &c. §. 50. & ſeqq. Videamus, quas rationes pro aſſertione juris divini communiter ad ferre ſolent 1. *Rat.* ex voce *miſchphat*, in textu, quam gr. interpres per δικαίωμα, Vulgatus, Tigurinus, Munſterus, per *jus*, Chaldeus & Syrus per *nomouſa* Arabs per *ſunnat.* i. *legem* exponunt. *Reſp.* Sed nihil coëgit interpretes hâc vocem ſic transferre: cum 1 Sam. 2. vers 13. & 27. vers 11. Eccl. 8. vers 5. Joſuæ 6. vers 15. &c. *miſchpat* ſignificet *morem*, aut *conſuetudinem*,

dinem, aut *rationem*, aut *modum* agendi. Quidni & hic? nulla enim analogia contextus, aut ſcripturæ hoc vetat: quin contra (uti ſupra oſtenſum), à voce juris nos abducit; quod aut ſubjectæ materiæ non conveniat, aut ſaltem ambiguitatem hic pariat. Addo, ſiquidem hæc tranſlatio non ſapiat, cum Druſio in notis ad hunc locum, ex hebræo potius reddendum fuiſſe *ſtatutum*, *decretum*, *inſtitutum*. Sic fere Munſterus in notis ad locum. Ita ut *decretum*, *ſtatutum*, *inſtitutum*, quod ipſi formabant, & unde ipſis jus uſurpatum, hic referatur. Et R. Sel. ben Melech in *michlol Jophi* exponens per *chok* & *dat*, confert 1 Sam. 2. v. 12. 2. *Rat.* Ex nomine *regis*; ac ſi illud, ubicunque vere alicui tribuitur, de ratione ſuâ formali diceret abſolutam, & illimitatam poteſtatem in corpora & bona ſubditorum, in quæ ipſis liceret, quidquid liberet. Cui laciniæ quædam ſententiarum partim ex Ethnicis ſcriptoribus, partim ex patribus adduntur: quaſi tales amplificationes conſtituerent

nobis definitiones & exiomata theologica & politica *Reſp.* 1. In theologiâ & ſcripturâ nihil ipſis præſidii: ex uſu ergo ipſius vocis *regis* (מלך βασιλευς) tale quid inferri nequit. Herodes, & Archelaus, Agrippa, Math. 2. & 14. Actor. 12. & 26. ſalutantur nomine *regum*; qui tamen ſuberant imperatori Romano, tanquam ſupremo domino. Similiter in libris Joſuæ in diſtrictu non tam amplo terræ Canaan 31. reges numerantur: præter Og regem Baſan, & Sihon regem Heſbon. Inter quos, qui præterquam quod uni tantum oppido aut civitati præeſſent, non omnes potiebantur ſupremâ & independente poteſtate. Tales erant reges illi Jerem. 52. v. 32. Et Philiſtæorum ſatrapæ aliquando reges nominantur: ut Abimelech Geneſ. 20. & 26. Talmai 2 Sam. 13. vers 37. Quin & judices Iſraelitarum Judic. 17. vers 1. & exſertè Moſes rex in Jeſchurun Deuter. 33. vers 5. *Reſp.* 2. Quod ad politicos τὸ *rex* apud illos hanc definitionem non admittit: alioquin ex cenſu

ſu regum ſubmovendi eſſent illi reges, qui aut per electionem tales, & conſequenter non gaudent arbitraria poteſtate: aut quamvis per ſucceſſionem, non admittuntur ad regni commiſſionem niſi intercedente conventione, pacto, ſtipulatione, capitulatione. De quo vide Politicos, inter eos Althuſium c. 17. & 19. Beſoldum loc. cit. Confer. Bodinum lib. 2. c. 2. ubi ait poteſtate, qualis olim & hodie apud infideles aut gentes Barbaras obtinebat, paucos reges Europeos frui. *Reſp.* 3. Quod ſi uſus illius vocis tantum ſupremam poteſtatem inferret ſecundum explicationem juris divini, aut naturalis, aut gentium, aut civilis: utique actum eſſet de ſupremâ poteſtate, & jure Majeſtatis Imperatoris Romani, Imperatoris Turcici, Magni ducis aut Imperatoris Ruſſiæ, Principis Arauſonienſis. Principum Italię, ducis Brabantię, comitis Flandriæ &c. qui nomine *regis* non ſutuntur. Quæ omnia abſurda ſunt. Referatur ergo argumentum ad idealem Reipublicæ Platonicæ ſpecu-

lationem 3. *Rat.* Quia Deus dedit hunc regem cum tali jure, & in utrumque conſenſit. *Reſp.* Dedit quidem, ſed in irâ 1 Sam. 8. coll. cum Hoſ. 13. vers 11. additâ comminatione & denuntiatione graviſſimi incommodi. Vide commentar. Martyris, & Sanctii. Breviter divinæ providentiæ juſtiſſima adminiſtratio, non fundat jus agendi ea, circa quæ providentia verſatur. Vide 2 Sam. 16. vers 10. ubi Deus dicitur juſſiſſe aut dixiſſe Simei &c. Confer. Jeſa. 10. de Aſſur. Et Luc. 22. vers 22. de Juda, & Exod 7. coll. cum Rom. 9. de induratione Pharaonis. 4. *Rat.* Quia onera ſubditorum ſunt juris divini & naturalis: ergo locus hic non agit de malo more & uſurpatione regum poteſtate ſuâ abutentium. *Reſp.* Neg. conſequentia. Neque enim omnia illa, qualia hic recenſentur, ad propriam utilitatem pro arbitrio impoſita, ſunt divini aut naturalis juris, ſed mali moris. Hactenus genuini ſenſus vindicatio. Quæ Politici quidam diſquirunt de jure populi

puli eligendi regem, & ſi abutatur poteſtate, ipſi non parendi, immo & in extremo neceſſitatis caſu eidem reſiſtendi, quia ad noſtram hanc diſquiſitionem textualem nihil faciunt, ipſis relinquimus: cum hic textus regibus in genere, aut etiam populo, nec hoc nec quidquam aliud præſcribat: ſed tantum prænuntiet quid ipſorum reges, ſi qui mores regum Gentilium imitarentur, facturi eſſent; aut quid Saul primus rex facturus ſit: uti Piſcator aliique nonnulli hoc accipiunt.

Secunda ſententia eſt eorum, qui 4.
hinc omnem regum & regiminis monarchici poteſtatem illicitam & in ſe malam eſſe contendunt. Sed ex hoc textu nihil tale exſculpi poteſt: ſiquidem nulla regiminis forma aut ſpecies jure divino hic improbatur aut approbatur, ſed tantum prænuntiatur quid eventurum ſit per juſtam Dei indignationem populo Iſraelitico petenti regem. Atqui Samueli & Deo diſplicuit talis forma regiminis: ergo mala. *Reſp.* Diſplicuit, non quidem iſta ſpecialis

alis forma regiminis: ſed importunitas populi, & modus hanc mutationem regiminis ariſtocratico-democratici in regium poſtulandi, cum faſtidio rerum præſentium, & cum ingratitudine in Samuelem: imprimis, quod non ſimpliciter regem peterent, ſed talem, qualem haberent Gentiles, pompaticum ſcil. & faſtuoſum: quod Deus abſolutè prohibuerat Deuteron. 17. Accedit quod cum eſſent Dei reſpublica peculiari quâdam ratione, & Deus ipſorum rex, penes quem ſolum *jus majeſtatis*, 1 Sam. 8. vers 7. coll. cum Judic. 8. vers 23.; & illi, סגלה. i. peculium, ſeu peculiaris Dei populus Exod. 19. vers 5. Deuter. 7. vers 6. ſicuti terra ipſorum Dei terra, ipſique Dei emphyteutæ Levitic. 25. vers 23. hanc regiminis formam, & hanc terræ poſſeſſionem, contra peculiarem legem & jus ipſis conceſſum, imprudenter & pertinaciter mutari voluerint, & Gentilium regum poteſtatem in terram Dei introduci. *Tertia* ſententia eſt Melanthonis in locis comm.

comm. tit. de Magiſtratu in fine, hic divinitus præſcribi ſtipendia regibus debita. Quam adoptat Waremundus de Eerenberch in tractatu cui tit. *Veriſimilia theologica, juridica, ac politica: de regni ſubſidiis ac oneribus ſubditorum, libro 1 Samuelis cap. 8. traditis: per Melanthonem theologorum & politicorum coryphæum propoſita: reperta & defenſa diſcurſim, contra Bartolum, Bodinum, Roſſæum, Brutum, Zepperum, & alios.* Sed quidquid promittat hic titulus, nihil totus liber efficit. Neque enim ſtipendia regum, & onera ſubditorum jure divino, naturali, gentium juſtiſſimè debita (de quibus Waremundus, & paſſim omnes politici ac Theologi) in propriam & domeſticam regis utilitatem convertuntur, nec dominium omne ſubditis eripiunt, nec abſoluto arbitrio regum imponuntur, & quidem ſummâ cum inæqualitate, ut uni præſtantiſſimos agros pro libitu auferat, & purpuratis atque officiariis ſuis tradat. Talia autem ſunt onera, quibus recenſitis Samuel eos à regum imperio, ſecundum

morem

morem vicinarum Gentium, abſterret.
Adde quod ſuper oneribus illis tan-
quam ſuper injuriâ, oppreſſione, & ju-
go tyrannico clamaturi ſint ad domi-
num. Quid autem notet phraſis *clama-
re ad dominum* collige ex Exod. 3. Jud.
10. Hab. 1. &c. Atqui ſuper legiti-
mis regni ſubſidiis, & regum ſtipen-
diis nemo ſanus clamat ad dominum,
aut apud Deum & homines de iis con-
queritur; ſed potius pro divino illo or-
dine & εὐταξίᾳ Deo gratias agit, eam-
que ubique celebrat. *Quarta* ſententia
,, eſt Hugonis Grotii lib. 1. de Jure
,, belli & pacis cap. 4. Non eſſe locum
,, Samuelis de jure vero intelligen-
,, dum, id eſt, de facultate honeſte &
,, juſte aliquid agendi (longè enim ali-
,, ter Deuteron. 17. 14. præſcribi), ne-
,, que nudum factum indicari: nihil e-
,, nim eſſet in eo eximium, cum inju-
,, rias facere etiam privati privatis ſo-
,, leant: ſed factum, quod effectum ali-
,, quem juris habeat, id eſt non reſi-
,, ſtendi obligationem. Ideo additur
,, populum preſſum iſtis injuriis Dei
opem

„ opem imploraturum, quia ſcil. humana remedia nulla exſtarent. In quâ ſententiâ omnia non æque ſolida eſſe video. Nam *primo*, illi, contra quos hic diſputat, cum factum dicunt, non excludunt omne jus: ſed facile concedunt indicari & includi huic facto jus regum uſurpatum ac præſumtum, & fere commune aliis omnibus regibus Gentilium; quin & legem regiam non ſcriptam & conſuetudine firmatam, immo & ſcriptam conſenſu procerum & Magiſtratuum inferiorum, ſaltem tacito, immo etiam expreſſo, ſi non planè ſpontaneo, ſaltem mixto (quomodo periclitantes in mari merces ejiciunt) cum progreſſu temporis introductam aut receptam, non negabunt: Sed tantum negant jus divinum aut naturale regibus Iſraelis, nedum omnibus aliis regibus, hic præſcribi. *Secundo*, Omnino eximium, quod dicit, ſapit factum regum, longe diverſum ab injuriis privatorum. Poteſtas, & potentia publica & arcana regum ac regnorum, ſiquidem convertantur ad op-

preſſio-

preſſionem ſubditorum, nec vulgares nec particulares effectus generant, ſed totius reipubl. graviſſimam quaſſationem aut ſubverſionem: uti docent politici & Hiſtorici in deſcriptione tyrannidis & tyrannorum, ſed longè aliter ſe habet injuria à privatis invicem illata: uti notum eſt. *Tertio*, effectum juris, quo dicit populum obligari, non *eſt jus regis*, de quo hic controvertitur: quia rex deberet eos majoritate & poteſtate ſua ex Dei mandato particulari obligare (ſiquidem *miſchpath regis*, jus regis hic exponendum eſſet) & ſic illi divinitus ad ſubjectionem & obedientiam regi nomine talis poteſtatis præſtandam. Ubi eſt effectum juris, ibi eſt jus. Jam vero jus ſecundum Jureconſultos conſtituitur in re vel perſona aliqua. Perſona illa hoc loco non eſſet ſubditus, qui patitur; ſed rex qui ſic & ſic acturus dicitur, unde denominatio ꝰ *miſchpath regis*. Quidquid ſit de obligatione juris, quam Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 6. §. 26. hic ferè ut Grotius agnoſcere videtur, ſaltem *Quarto*, mini-

nime ſolidum eſt quod Grotius non reſiſtentiam concludit, ex verbis & *clamabis* &c. Aliunde & melius hoc probat J. Friſchmuth tr. cit. §. 73. & ſeqq. Nam cum bella domini geſſerunt Iſraelitæ ſub judicibus, & regibus, utique clamârunt ad dominum, nec tamen omiſerunt reſiſtentiam. Judic. 2. vers 18. & 3. vers 9. 15. & 4. vers 3. &c. Sed uti ſupra diximus, reſiſtentia eſt quid extrinſecum & per accidens; nec hoc loco mandatur aut prohibetur populo; multo minus omnibus magiſtratibus & politicis communis ac perpetua regula tali in caſu obſervanda divinitus præſcribitur.

Addenda.

Diſquiſitioni huic noſtrę oppugnandæ hypotheſis ex Deuteron. 17. opponi poſſet. Quod non peccârint Iſraelitæ petendo regem, nec Samuel prædictione ſuâ de aggravatione jugi regii, imprudentiam & temeritatem eorum notâverit: quia Deuter. 17. verſ. 14. 15.

Deus

Deus mandavit iis, ut cum in terram promiſſionis perveniſſent, regem ſibi conſtituerent. Hæc fuit ſententia Maymonidæ; & nonnullorum ex Doctoribus Chriſtianis, Schickhardi ſcil. de jure regio Hebræorum pag. 6. & anonymi in defenſ. regiâ pro Carolo I. Magnæ Britanniæ rege. Sed rectè pro ſententiâ communiori, quæ eos peccaſſe ſtatuit, uti ſupra ex textu, & teſtimoniis autorum probatum eſt, reſpondetur cum Franc. Junio, Auguſtino, Toſtato, in Deuter. 17. mandatum illud non eſſe abſolutum, sed hypotheticum, ſeu κατ' ὑπόθεσιν καὶ συγχώρησιν.
„ Poſtquam, inquit Junius in analyſi, „ Deus ſuppoſuit de regno inſtituen„do, ſive ex principio bono ſive malo, „ ſive mixto (hæc enim quæſtio hoc in „ loco minimè agitur) præcipit primum „ de electione &c. Qualia ſunt præcepta illa ordinem aliquem præſcribentia circa malum permiſſum, Deuteron. 21. verſ. 10. & de libello repudii, propter duritiem cordis. Fuiſſe autem peccatum peculiare Iſraelitarum, non

ita

ita aliorum populorum, petitionem & conſtitutionem regis, ſupra probatum eſt: nec hic repeto; præſertim cum poſt diſquiſitionis meæ conſcriptionem, nactus ſim diſcurſum Johannis Friſchmuth profeſſoris Jenenſis ao. 1653. in 4°. de rege eligendo & deponendo: ubi hæc cauſa ex ſententiâ Abarvaneelis eruditè agitur, & omnes adverſantium objectiones ſolvuntur. Ubi egregium hoc ſcriptum lectori iſtarum rerum avido commendavero, hâc vice quieſcam.

IN-

INDEX CAPITUM

Diſſertatio prior

De LEGE In COMMUNI.

CAP. I.

De Lege & terminis affinibus. Pag. 1.

CAP. II.

De legis definitione. 7.

CAP. III.

De materiâ legis, & an dentur actiones quædam ex ſe, & ſuâ naturâ bonæ vel malæ? 11.

CAP. IV.

De fine legis; & de pœnis, an futurum tantum ſpectent, & de tyrannide. 18.

CAP. V.

De poteſtate legiſlatoria; & an Atheus ſit ſubditus in Regno Dei? 33.

CAP. VI.

De promulgatione legis, & num naturæ, quas vocamus leges, propriè atque accuratè loquendo leges ſint? 43.

DIS-

DISSERTATIO POSTERIOR,

De

Exemptione Principis à Lege.

CAP. I.

IN Republ. eſſe ſummam aliquam poteſtatem, & ſtatus quæſtionis proponitur. 47.

CAP. II.

Variæ legis conſiderationes. 48.

CAP. III.

De exemptione principis à legibus naturalibus, ſeu divinis. 51.

CAP. IV.

De exemptione principis à legibus Regni fundamentalibus. 56.

CAP. V.

De exemptione principis à legibus Regni non fundamentalibus. 60.

CAP. VI.

De exemptione principis à legibus, quoad vim earum coactivam. 65.

CAP. VII.

De authoritate principis in leges. 70.

CAP.

CAP. VIII.
De ſummâ & abſolutâ principis poteſtate. 74.
Annexum. 82.
Corollaria contra Hobb. 84.
Giſb. Voetii diſquiſitio textualis in 1 Sam.8. de jure Regio Hebræorum. 89.

FINIS.

Errata.

Pag.40. l. 23. ſed leg. ſeu. pag. 60. l. 13. 16. leg 12. pag. 63. l. 8. ſuam leg. ſua. pag. 65. l. 16. princeipius leg. principis.

Lectori Benevolo S.

INter alia fidi Paſtoris officia etiam hoc requirit S. Apoſtolus, ut non tantum exhortetur doctrinâ illâ ſanâ; ſed & contradicentes (ἐλέγχῃ) convincat. *Tit.* 1, 9. *Loquitur de erroribus in negotio fidei & religionis, quibus tempeſtivè occurri vult ab Eccleſiæ Epiſcopis: nec immeritò; ſunt enim errores atque hæreſes ejus naturæ, ut niſi maturè ſopiantur, facilè viam inveniant inter homines, atque longè latèque graſſentur, utcunque abſurdæ ſint, impiæ atque à veritate alienæ;* 2 *Tim.* 2. 17. *Unde colligitur, non facere me præter officium, dum pro modulo gratiæ mihi divinitùs indultæ Hobbeſii impietatibus me oppono, & ſcriptis eas confuto. Id*

autem cùm antehac duabus diſſertatiunculis, quarum una eſt de Lege in communi, *altera eaque inauguralis diſputatio de* exemptione Principis à lege, *præſtare conatus fuerim; atque interea exſpectarem atque ſperarem, ut ab alijs, me eruditioribus, errores illi execrandi, in ipſius ſcriptis paſſim obvii, copioſius & nervoſius profligarentur; ecce non tantùm vana fuit ſpes mea atque expectatio; verùm etiam præter opinionem prodit interea nuper, etiam noſtro idiomate, quod hactenus Anglicè tantum exſtabat, monſtrum illud horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum; utinam nunquam natum! vel ipſo nomine ominoſum,* Leviathan, *verè* Leviathan, *rex ille filiorum ſuperbiæ, Iob.* 21: 25. *Serpens ille oblongus & tortuoſus, de quo*

Ieſ.

Ieſ. 27: 1. Ordinis Eccleſiaſtici atque Politici, religionis ac pietatis, legum omnium naturalium tam ſacrarum, quam ſecularium hoſtis acerrimus, vitiorum quorumvis promus condus; ut quo perniciosiſſimi errores, non tantum Sociniſmo, ſed & ipſo Epicuræiſmo & Sadducæiſmo deteriores, qui in tractatu de Cive occulti latitabant, apertè & rotundè inculcantur lectoribus, non ſine incredibili confidentiâ atque ſuperbiâ. Igitur huic malo tempeſtivè occurrendum ratus, vindiciis meis pro Lege & Imperio, etiam haſce pro Religione adjungere volui, ut &, quæ de cultu divinæ maj. in regno ejus naturali tradit cap. 15 De Cive, *atque* Leviath.*cap.31. Heterodoxa & à veritate aliena, notarem, atque refutarem. Hoc autem ut*

com-

commodiùs fieret, nihilque alicujus momenti intactum præterirem, viſum ſunt Auctorem præeuntem κατὰ πόδας ſequi atque examinare; agere tamen cum ipſo non multis, ſed, quantum fieri potuit, paucis, tum ne prolixitate nimiâ Lectoribus moleſtus eſſem, tum quòd ſcirem in bonâ cauſâ tria verba ſufficere. Hunc meum conatū, benevole lector, ut ex Syncero veritatis tuendæ ſtudio profectum, æqui boni conſule. Plura quæ habeo in promptu, reliquis Hobbeſii erroribus oppoſita, data occaſione, ubi hæc paucula ſpecimina optato fructu non carere deprehendero, juris publici facturus ſum, ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ, καὶ ζήσομεν. Vive, fave, fruere, & Vale.

VIN-

VINDICIÆ PRO RELIGIONE in REGNO DEI NATURALI;

Contra

HOBBES de CIVE, *cap.* 15.
LEVIATHAN, *cap.* 31.

ART. I.

Propoſitio Sequentium.

QUanti momenti religio ſit etiam ad reipubl. felicitatem, nemini obſcurum eſſe poteſt; eſt illa Platoni, *propugnaculum poteſtatis, legum & honeſtæ diſciplinæ vinculum.* Ciceroni, *ſocietatis humanæ fundamentum;* Plutarchus illam vocat συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας, καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα: *atq; facilius urbem ſine ſolo, quam rempubl. ſine opinione de* Diis *conſtitui poſſe, aut con-*

ſtitutam ſervari. Quibus conſonum eſt illud Silii Ital.

Heu primæ ſcelerum cauſæ mortalibus ægris,
Naturam neſcire Deûm!

Plura in hanc rem vid. apud *Grot. de Imp. ſum. poteſt. circa ſacra cap.* 1. Curam ergo religionis iis incumbere, qui in Civitate ſunt cum ſummâ poteſtate, extra controverſiam eſt. Quouſque autem Imperium Civitatis circa religionem ſeſe extendere, atq; in quibus eam conſiſtere, doceat Hobbes, operæ pretium eſt inveſtigare. Cùm verò legibus divinis illam contineri doceat, atque *legum cognitionem dependere à cognitione Regni*; de Regno Dei in ſeqq. ſibi agendum proponit; de quo in genere agit *art.* 2. 3. 4. *hujus cap.* deinceps in ſpecie; Et quidem primò de *Regno Dei per naturam*, hoc cap. de *Regno* autem *Prophetico*, cap. 16. 17. 18. De *Regno Dei per pactum vetus*, cap. 16. De *Regno Dei per pactum novum* c. 17. 18.

ART. II.

In quos Deus dicatur regnare?

HOc primum eſt, quod hoc art. circa Regnum Dei in genere inquirit. Negat autem, *propriè loquendo Regno Dei ſubjici corpora inanimata, irrationalia, Atheos, qui Deum eſſe non credunt; tum, qui Deum eſſe credentes, tamen hæc inferiora regere non credunt. Soli igitur,* inquit, *in Regno Dei cenſendi ſunt, qui ipſum & rectorem omnium rerum eſſe, & præcepta hominibus dediſſe, &c. agnoſcunt. Cæteros,* inquit, *non ſubditos, ſed hoſtes appellare debemus.* Sed & corpora inanimata, irrationalia, & quicquid eſt in rerum naturâ, regno Dei ſubjici clamat ubique S. Scriptura; & vel in locis ab ipſo hoc artic. citatis. *Pſal.* 97. 1. *Jehova regnat, exultet terra.* & 99. 1. *Dominus regnavit, expaveſcunt populi; is qui ſedet inter Cherubim, moveatur terra.* quibus adde *Pſ.* 103. 19. & 24. 1. 1 *Chr.* 29. 11, 12.

Pſal. 93. 1. *&c.* Quod Regnum Dei à Theologis *Regnum potentiæ*, item *univerſale* ſeu *generale* appellatur; eſtque nihil aliud, quàm providentia Dei realis. Sed fatetur, *Deum homines univerſos ita per potentiam regere, ut nemo poſſit quicquam facere, quod ille factum nolit, reſque omnes creatas ſubjici potentiæ divinæ*: verùm negat, *hoc eſſe propriè & accuratè loquendo regnare*; quod idē eſt, ac ſi diceret, non propriè & accuratè loqui Spiritum Sanctum, cùm Deum in omnia regnare teſtatur. Sed, inquit, *regnare non dicitur, qui agendo, ſed qui loquendo, id eſt, præceptis & minis regit.* Verùm hoc falſiſſimum eſſe tum ex locis ſupra citatis liquet; quibus Deus per potentiam, id eſt, agendo regnare dicitur; tum quòd nauclerus navem, auriga currum propriè atque accuratè loquendo regere dicuntur; qui tamen non loquendo, id eſt, præceptis & minis, ſed agendo regunt. *Arte citæ, veloque rates, remoque reguntur; Arte leves currus.* Fatemur quidem, aliud

aliud eſſe Regnum Dei, quo agendo, ſive per potentiam; & aliud quo loquendo, ſeu præceptis & minis regit; quod poſterius à Theologis *providentia* Dei *moralis* appellatur; ſicut prius *realis*: negamus tamen Regnum Dei univerſale, ſeu potentiæ, non eſſe propriè & accuratè loquendo Regnũ. Unde intelligitur, frivolum eſſe Auctoris argumentum, quo probare nititur, corpora inanimata, & irrationalia non eſſe habẽda pro ſubditis in Regno Dei; *quia licet potentiæ Divinæ ſubjiciantur, præcepta & minas non inteligunt*: hinc enim ſequitur, ſubjici illa propriè providentiæ Dei reali, ſeu Regno Dei univerſali, non autem providentiæ Dei morali, quâ morali modo præceptis & minis regit creaturas rationales: quare ad huc probandum reſtat, providentiam Dei realem non eſſe propriè & accuratè loquendo regnum Dei. Sed dicit, *non eſſe; quia corpora inanimata & irrationalia præcepta & minas non intelligunt*. At nec infan-

tes, nec mente capti præcepta aut minas Dei intelligunt; quos nemo dicet, non eſſe propriè & accuratè loquendo in regno Dei. *Gen.* 17. 7, 12. *Matt.* 19. 14. 1 *Cor.* 7. 14.

Quantum ad *Atheos*, ut probet eos non eſſe ſubditos in Regno Dei, falſum aſſumit: negamus enim eſſe tales, aut fuiſſe unquam, qui ex animo & corde; quamvis non deſint, qui conatu & opere *Pſal.* 14. 1. *Tit.* 1. 16. *Deum eſſe non credunt, aut eum inferiora hæc non regere.*

Inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus, inquit;
Dixit, at hoc nullus credidit inſipiens.
Inſipiens negat eſſe Deum ſi nemo; quis ergo
Atheus eſt? nullum qui cupit eſſe Deũ.

Vide *Rom.* 1. 19, 20, 32. & 2. 14, 15. *Act.* 14. 16, 17. & 17. 27, 28. Deinde dato, talia monſtra hominum eſſe in rerum naturâ, negamus tamen non fore illos, velint nolint, ſubditos in

Regno

Regno Dei. Nam 1. omnes creaturæ ratione præditæ à Deo dependent, non tantum in genere entis, ſed etiam in genere moris. De quo vide *Voet. diſp. ſelect. part.* 1. *de jure & juſt. Dei*, pag. 365. *& ſeqq. Eſſen. diſp. theol.* 30. *theſ.* 48. *& ſeqq: imprimis diſp.* 31. *theſ.* 52. 2. Si Athei non eſſent in Regno Dei, quia Deum non eſſe credunt, præcepta ejus nulla agnoſcunt, neque minas metuunt; ſequeretur Regnum Dei in homines pendere ab ipſâ hominum voluntate & arbitrio; quod abſurdum: rectè ipſe paulò antè; *ſcilicet velint nolint homines, Deus eſt Rex univerſæ terræ; neque ſi ſint, qui exiſtentiam ejus vel providentiam negaverint, ideo ſolio ſuo excutitur*, 3. Ipſe ſtatuit, jus regnandi in Regno naturali Deo eſſe à ſolâ potentiâ irreſiſtibili, & obligationem ad obedientiam procedere ab imbecillitate humanâ. *Art.* 5. & 7. *hujus cap.* at locum habent hæc non minùs in Atheis, quàm aliis. 4. Atheiſmus eſt crimen læſæ maj. divinæ *per*

art. 19. *hujus cap.* & *art.* 18. *cap.* 16. At crimen læſæ maj. non committitur niſi à ſubditis. per *art.* 20. *cap.* 14. 5. Athei propriè loquendo peccare poſſunt contra Deum, contra rectam rationem, ſeu leges naturales, quæ ſunt leges Dei rectoris & legiſlatoris ſupremi; at nemo ſic contrà Deum peccare poteſt, niſi ſit ſubditus in Regno ejus. 6. Effectus imperii ſunt obligatio & coactio; cogi autem Atheos poſſe ă Deo non negabit, qui eos regi fatetur à potentiâ ejus. *Hoc art.* Obligari etiam eos imperio divino, probatur; nam ſi non obligantur Imperio divino, erit quia illud non agnoſcunt; atqui ſi ideo non obligantur imperio divino, aut erit quia illud agnoſcere non poſſunt, aut quia nolunt, aut quia non curant; non primum. *Rom.* 1. 19. non alterum, quia imperium Dei in homines eſt planè abſolutum & independens; non tertium, quia nullo jure negligentia ſubditorum ntelligi poteſt derogare imperio legiti

giti

gitimè imperantis. Subditus omnium ICtorum & Politicorum calculo ille dicitur verè & propriè, qui in alicujus territorio domicilium conſtituit: at terra, in quâ domicilium ſuum habent Athei, eſt territorium Dei Regis ſupremi. *Jehova eſt terra & quod implet eam, orbis habitabilis & habitantes in eo.* Pſal. 24.1. Sed objicit; *non ſunt tamen*, inquit, *in Regno Dei, quia præcepta ejus nulla agnoſcunt, neque minas metuunt.* Reſp. 1. Negatur conſequentia; ut liquet in infantibus & mente captis. 2. Contrarium diſertè teſtatur Apoſtolus de gentibus cunctis, quos alibi Atheos vocat. *Eph.* 2. 12. vide *Rom.* 1. 32. & 2. 14, 15. *Nam quum gentes, quæ legem non habent, naturâ quæ legis ſunt faciunt, iſti legem non habentes, ſibi ipſis ſunt lex: ut qui oſtendant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, unà teſtimonium reddente ipſorum conſcientiâ, & cogitationibus ſeſe mutuo accuſantibus, aut etiam excuſantibus.* Quem locum contrà exceptiones Sociniano-

rum in eodem negotio egregiè vindicatum vide ab Hoornb. Socin. confut. *t.* 1. *p.* 137. *& ſeqq.* Inſt. *ſunt hoſtes, non ſubditi appellandi.* Reſp. non ſunt ἀσύϛατα ſimul eſſe hoſtem & ſubditum in Regno alicujus: qui committunt crimen læſæ majeſtatis ſunt ſimul hoſtes & ſubditi: omnis peccator eſt ſubditus; nullus tamẽ eſt, qui non quâ talis, hoc eſt, quâ peccator ſit hoſtis Dei. *Quoniã quod ſapit caro inimicitia eſt adverſus Deum. Rom.* 8. 7. adde *Jac.* 4. 4. *Jud.* 5. 31. 2 *Sã.* 12. 14. *Pſ.* 66. 3. & 83. 3. *Rom.* 15. 10.

ART. III.

De triplici verbo Dei; ratione, revelatione, & Prophetiâ.

„Alterum quod de Regno Dei in „genere præmittit, eſt diſtinctio „Regni Dei in *naturale* & *Propheticum*; quoniam autem diſtinctionem „hanc Regni Dei exiſtere arbitratur „ex diverſâ ratione, quâ Deus vo„luntatem ſuam declarat hominibus

„(re-

„(*regere enim*, inquit, *præceptis non*
„*dicitur, niſi qui regendis præcepta ſua*
„*apertè declarat, ita ut omnis tollatur*
„*ignorantiæ excuſatio*) docet hoc art.
„triplex eſſe verbum Dei; *rationale*,
Propheticum, & *ſenſibile*; illud per tacita
„rectæ rationis dictamina; iſtud per
„revelationem immediatam, quæ in-
„telligitur fieri per *vocem ſupernatura-*
„*lem*, vel per *viſionem*, vel *ſomnium*, vel
„*inſpirationem* ſeu afflatum Divinum;
„hoc per vocem alicujus hominis,
„quem Deus per vera miracula edita,
„ut fide dignum, cæteris commenda-
„vit, hoc eſt *Prophetam*, declarari. Atq;
„his reſpondere tres modos, quibus
„verbum Dei audire dicimur; *ratioci-*
„*nationem rectam*, *ſenſum*, & *fidem*; reve-
„lationē autem, quam *verbum Dei ſen-*
„*ſibile* appellat, ad paucos factam eſſe;
„neque Deum hoc modo loquutum
„eſſe niſi viritim & diverſis diverſa;
„neque ullas leges Regni hoc modo
„populo ulli promulgatas fuiſſe. At-
„que inde relinqui duplex tantum eſſe

„Regnum Dei; *naturale* & *Propheti-* „*cum*; de quo art. ſeq. ſed 1. Leges illæ, quæ per tacita rectæ rationis dictamina hoc pacto declarantur hominibus, ſunt leges naturales; quid ergo obſtat, quo minus leges naturales propriè & accuratè loquendo leges dici debeant? contra *art.* 33. *cap.* 3. nec 2. cohærent illa; leges naturales adeo perſpicuè promulgari, ut omnis tollatur ignorantiæ excuſatio, uti hic docet; & quod docet art. pręced. Atheos dari, qui præcepta Dei nulla agnoſcunt, nec minas metuunt. 3. Triplici iſto, ut docet, modo Deum leges ſuas declaraſſe hominibus, non eſt quod dubitemus; nam præter tacita rectæ rationis dictamina, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως voluntatem ſuam prophetis, aliiſque hominibus revelavit Deus. *Hebr.* 1. 1. Et quidem extraordinariè excellentiori quodam modo ſeſe revelavit Moſi, quàm reliquis Prophetis. *Num.* 12. 8. Ut plurimum verò ſolebat voluntatem ſuam immediatè reve-

revelare, vel per *vocem ſupernaturalem*, quomodo Abraham admonitus eſt cęleſti voce, ne mactaret filium ſuum. *Gen.* 22. Quem revelandi modum *oraculum* appellare licet; vel per *inſpirationem & afflatum divinum*. 2 *Petr.* 1. 21. Quo pertinent *Urim* & *thummim*, quibus voluntatem ſuam Deus revelabat ſummo ſacerdoti os Dei conſulenti; vel per *impreſſionem certarum ſpecierum* ſenſibus eorum, quibus ſe revelabat, objectarum; quo pertinent *Ecſtaſes, ſomnia, viſiones*: ſomnia vero & viſiones peculialiter recenſentur tanquā communiores & magis uſitatæ, *Num.* 12. 6. *Si erit Propheta ex vobis, per viſionem meipſum notum facio ei, aut per ſomnium alloquor eum.* Adde *Job.* 33. 15. *Jer.* 23. 16, 25. *Dan.* 1. 17. *Joël.* 2. 28. *Act.* 2. 17. Denique etiam per vocem alicujus hominis, ſive *Prophetiâ*, ſeu verbo Prophetico: ſed omnes Prophetas Deum ut fide dignos cæteris commendaſſe veris miraculis, incertum eſt; Multi enim veri Prophetæ fuerunt, de

qui-

quibus non legimus, ulla eos unquam feciſſe Miracula; quales fuerunt Abraham, qui Propheta appellatur, *Gen.* 20. Aliique Patriarchæ; item David, Jeremias, Ezechiel, Amos, Joël, &c. Johannes Baptiſta, aliique; neq; etiam omnes, qui miraculis claruerunt veri Prophetæ fuerunt. *Matth.* 7. 22, 23. & 10. 1. & 24. 24. *Deut.* 13. 1, 2. 2 *Theſſ.* 2. 9. Viguit hoc donum Miraculorum in Eccleſiâ primitivâ tempore Apoſtolorum, & ultrà, nec tamen omnes dono iſto præditi fuerunt Prophetæ. 4. Neque benè verbum Dei, quod per revelationem immediatam innoteſcit, dicitur *verbum ſenſibile*; neque modus, quo auditur ſeu percipitur, *ſenſus*; ſolam autem fidem eſſe, quâ auditur verbum, quod appellat Propheticum; Nam 1. non minùs teſtimonio dicentis nititur aſſenſus, qui prębetur revelationi immediatę, quam quæ mediatè fit per Prophetas. 2. nullibi in S. S. Literis verbum Dei *verbum ſenſibile* appellatur; aut aſſenſus, qui ad-

adhibetur revelationi immediatæ, ſenſus; fides quidem, *Gen.* 15, 1, 4, 5, 6. *Rom.* 4. 17, 21. 5. Denique nec uſquequaque certum eſt, quod de *verbo* Dei *ſenſibili*, ut loquitur, ſeu revelatione immediatâ dictat; nempè D*eum per illam hominibus non eſſe loquutum, niſi viritim, & diverſis diverſa; neque ullas leges regni hoc modo populo ulli promulgatas fuiſſe*. Nam. 1. Simul hoc modo alloquutus eſt Deus Moſem & Aaronem. *Exod.* 6. 12. Item Aaronem & Miriam. *Num.* 12, 4. Non ergo *non niſi viritim*. 2. Prophetis & Apoſtolis, quamvis viritim & diverſis, hoc modo voluntatem ſuam revelavit Deus; non tamen diverſa, ſed unum idemque; ut liquet ex collatione eorum, quæ Sp. S. inſtinctu nobis ſcripta reliquerunt; unum etiam idemque fuit, ſc. everſio Sodomę, quam Deus diverſis, puta Abrahamo & Loth, revelavit, *Gen.* 18. & 19. Et quod Deus revelavit Petro & Cornelio, *Actor.* 10. Similiter 3. Falſum eſt, nullas leges
Regni

Regni populo ulli hoc modo promulgatas eſſe; ſive Deum per revelationem immediatam nunquam alloquutum fuiſſe ullum populum. Nam 1. Familiæ Patriarcharum Regnorum quandam imaginem geſſere; at in iis alloquutus fuit hoc modo Deus non tantum Patriarchas ipſos, familiarum ſuarum Reges & Principes, ſed & ipſorum filios, hoc eſt, ſubditos; ut in familiâ Adami Cainum, *Gen.* 4. 2. Etiā populum Iſraëliticum immediatâ revelatione (ſeu *verbo ſenſibili*) alloquutus fuit Deus; ut in monte Sinai, ubi Iſraëlitis audientibus, leges ſuas palam hoc modo promulgavit, *Exod.* 20. 19. *Deut.* 5. 24. *Hebr.* 12. 19. Eaſque tabulis lapideis propriâ quaſi manu exaratas tradididit: etiam columna nubis & ignis, preſentiæ Dei ſymbolum Iſraëlitis atque dux itineris, illis cunctis fuit voluntatis Dei index; aliàs quoque nonnunquam. *Jud.* 10. 10, 11 & 20. 23. 3. Ipſe docet *art.* 10. *cap.* 12. *Regem eſſe populum*; at Deum revelatione

tione immediatâ ipſos Reges ſæpius alloquutum fuiſſe, nemini dubium eſſe poteſt: de Patriarchis conſtat; Adamo, *Gen.*3. Noacho, *Gen.*6.7.8.9. Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, *Gen.* 12.13.15.17. 18.26.28.31.35.46. Item Moſe, Joſuâ, Gideone, Davide, Salomone. *Exod.*4.11,12.& 6.& paſſim. *Joſ.*1.4.7. *Jud.*6.&7.1 *Sam.*23. 2 *Sam.* 2.1 *Reg.*3. & 9.& 11. Etiam de Abimelecho rege idem legitur, *Gen.* 20.3, 4. Imprimis D.N. Jeſus Chriſtus, verus Deus, viam ſalutis, ſeu leges Regni ſui hoc modo populo Judaico annnunciavit, cum in humanâ ſuâ naturâ verſaretur in terris: atque etiamnum myſteria Regni electis ſuis omnibus revelat Deus eo modo, quo illa non revelat omnibus, quibus illa predicatione Evangelii annuntiantur; ſc. internâ Spiritus S. illuminatione, ſive afflatu quodam divino, ut liquet *Jer.*31.33 *Mat.*11.25.& 13.11. *Matt.*16.17.1 *Cor.*2. 10. *Joh.*6.45. & 14. *Eph.* 1.18. *Col.* 1. 26.1 *Joh.*2.27. Neq; dubium eſt, quin etiam

etiam in futuro ſeculo hâc ratione voluntatem ſuam Deus beatis ſit revelaturus.

ART. IV.

De duplici Regno Dei; naturali & Prophetico.

RECepta eſt hactenus & verbo Dei conſentanea diſtinctio Regni Dei in *univerſale* & *ſpeciale*; illud appellant *naturæ*; hoc rurſus diſtinguunt in Regnum *gratiæ* & *gloriæ*. At Noſter in *naturale* & *propheticum* illud partitur. Verùm habet Deus & R*egnum glorioſum* in cœlis; at illud nec naturale nec Propheticum dici poteſt; Regnum ergo naturale & Propheticum omne Regnum Dei non exhauriunt: nec temerè eſt, quòd Regnum Dei diſtribuens, R*egnum gloriæ* omiſit; ſiquidem Regnum tale necdum eſſe credit; ſed incipere demum à die judicii. *art.* 5. *cap.* 17. In eo paria faciens cum Socinianis: Smalcius contra

Frant-

Frantzium diſ. de Ecclеſ. pag. 273. *Error eſt*, inquit, *dum Eccleſiam inviſibilem partitur Frantzius in triumphantem & militantem; nulla enim revera nunc eſt triumphans, ſed olim futura, cum Chriſtus Jeſus venerit redditum unicuiq; ſecundum opera ipſius.* Animas etiam fidelium ſtatuit ſimul interire cum eorum corporibus, ſimul cum iiſdem noviſſimo die reſuſcitandas. *Leviath. cap.* 38. *pag.* 463. & *cap.* 44. *pag.* 635. & *cap* 44. *pag.* 642. *& ſeqq.* Socinianis impudentior, qui quamvis revera idem doceant, tamen ſibi impingi, quaſi docerent animarum mortalitatem, ægrè ferunt; hinc Smalcius contra Frantz. *Tum falſò nobis affingi à Frantzio querimur, quod credamus, hominem mori quoad animam, & quoad corpus.* pag. 409. & pag. ſeq. 410. *Nec nos petunt, qui credimus, animas vel ſpiritus poſt mortem redire ad Deum, qui eas dedit, & ita ſuperſtites ſuo modo eſſe.* Eſt hęc ſententia Auctoris non nova; ſed jam olim condemnata, non tantum in Sadducæis à D. N.

J. Chr.

J. Chr. *Matt.* 22. & Apoſt. *act.* 23. *vers* 6. *cum vers* 8. Sed & poſtea ab Eccleſiâ Chriſtianâ tempore Origenis & Fabiani Epiſcopi Romani in hæreticis, quorum magnus numerus erat in Arabià; qui ſtatuebant, animas à morte perire, & in reſurrectione redituras, de quo *Euſeb. lib.* 6. *cap.* 30. Itẽ *Platina in vitâ Fabiani. Iſidorus Peluſiota. lib.* 3. *Epiſt.* 295. *vid. Hotting. Hiſt. orient. pag.* 340. Melius ſubinde Gentiles: inter quos Epicharmi iſtum verſum admiratur Clemens Alexandr. Stromat: libr. 4. εὐσεβὴς νῷ πεφυκὼς &c. *ſi fueris mente pius, nihil mali patiere mortuus. Superius manet in Cœlo Spiritus.* Fate„tur quidem in futuro Chriſti adven„tu Deum Regnum gloriæ & cæleſte „habiturum; ſed locum iſtius Regni „non futurum in cælis; ſed in hâc terrâ. *Leviath. cap.* 38. *pag.* 459. & 472. Sed habere jam modo Deum Regnum glorioſum in cælis docent exempla Enochi & Eliæ, qui in cœlum ſublati ſunt. Ut legitur *Gen.* 5. 24. cum *Heb.*

11.

11. 5. 2 *Reg.* 2. 11. Item parabola divitis & Lazari. *Luc.* 16. Verba etiam Chriſti ad latronem; *hodiè mecum eris in paradiſo. Luc.* 23. cum 2 *Cor.* 12. adde *Joh.* 5. 24. item Apoſt. *Eph.* 1, 10. *Col.* 1, 10. item ad *Hebr.* 12. mentionem faciens *ſpirituum juſtorum conſummatorum.* Servator quoque contra Sadducæos diſputans; *Deus eſt Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi; Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium. Matth.* 22. Quo argumento evicit non tantum futuram aliquando corporum reſurrectionem; ſed & animas Sanctorum iſtorum adhuc vivere: hoc modo; Deus eſt Deus Abrahami, &c. at Deus eſt Deus viventium; vivunt ergo etiamnum Abrahamus, Iſaacus, & Jacobus; non quoad corpora ſua, ſed quoad animas; at Deus eſt illorum Deus non tantùm quoad animam, ſed & quoad corpus; corpora ergo eorum aliquando ſunt reſuſcitanda. Confirmant veram ſententiam etiam ſequentia loca, quæ brevitatis cauſa tantum indico.
Matt.

Matt. 17.3. 2. *Cor*. 5. 1. *& ſeqq*. Rom. 14. 9. *Apoc*. 14. 13. adde *Apoc*. 4. 4, 8, 10. & 5. 9. & alibi paſſim in apocalypſi liquidum eſt, exiſtere jam modo in cœlis Regnum Dei glorioſum. Idem probatur ex voto S. Apoſtoli; *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Phil. 1. 23. Quod fruſtra eſſet, atque à ratione alienum, niſi S. ille Apoſtolus crediſſet ſtatim à morte animam ſuam migraturam eſſe in cœlum, quo D. N. J. Chriſtum noverat ſublatum ſedere ad dextram Dei: addit enim; *nam id mihi multo melius*. & *verſu* 21. *mihi enim eſt Chriſtus & in vita & morte lucrum* Adde *Act*. 7. 56. *Luc*. 2. 29. Animarum immortalitas ampliùs liquet ex *Zach*. 12. 1. 2 *Cor*. 12. 2, 3. *act*. 7. 59. 2. *Petr*. 1. 14. Præcipuè *Matt*. 10. 28. *Ne metuite vobis ab iis, qui trucidant corpus, animam autem non poßunt occidere*; item *Eccleſ*. 12. 7. *Redeunte ipſo pulvere in terram quemadmodum fuerat; ſpiritu autem redeunte ad Deum, qui dederat illum*; ad Deum nempe judicem, ut opti

optimè Chaldæus Paraphr. *& ſpiritus animæ tuæ redibit, ut ſtet in judicio ante dominum, qui dedit illum tibi.* Imo evertunt hæc ſe mutuò; animas interire; & tamen eaſdē numero de novo reſuſcitandas: quia, quod prorſus interiit, idē numero reproduci, implicat contradictionem. Argumenta alia ab aliis in hâc materiâ adduci ſolita tum ex S. Literis, tum ex lumine rationis naturalis hic ſuppono. *Morn. de verit. relig. Chriſt. cap.* 14. *&* 15. Copioſè & eruditè monſtroſa hęc opinio in Socinianis confoſſa à *Joh. Hoornb.* videri poteſt *Socin. conf. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 1. Locum quoque in quo æterna vitâ etiam poſt reſurrectionē fruituri ſunt beati, cœlum eſſe, non terram; liquet ex ſequentibus locis. *Joh.* 14. 2, 3. & 17. 24. *Luc.* 23. cum 2 *Cor.* 12. 2 *Cor.* 5. 1. *Hebr.* 11. 10, 13, 14. *Col.* 3. 1. & 1. 5. *Phil.* 3. 20. 1 *Pet.* 1. 4. *Matt.* 5. 12. *quoniam mercès veſtra multa eſt in cœlis.* & 6. 20. *Marc.* 10. 21. *Luc.* 6. 23. & 18. 22. adde *Matt.* 22. 30. *In reſurrectione mortuorum non acci-*

cipi-

cipient uxores , &c. ſed ſicut Angeli Dei in cœlis erunt.

Deinde cum Regnum Dei *naturale* dicit eſſe, *in quo regit* Deus *per dictamina rectæ rationis ; illudque eſſe univerſale in omnes, qui divinam agnoſcunt potentiam, propter naturam rationalem omnibus communem* ; nimis anguſtis cancellis Regnum hoc Dei circumſcribit. Nam 1. Quamvis ſpeciali modo ſcil. morali Deus gubernet creaturas rationales; reali tamen modo & phyſicè Regnum Dei naturale ſeſe extendit ad omnes crearuras; vid. ad *art.* 2. 2. Quod etiam Atheos excludat à Regno Dei univerſali; tales enim aut nulli ſunt; ſiquidem *propter naturam rationalem omnibus communem* nemo eſt, qui non *divinam agnoſcat potentiam* (ſunt verba Auctoris) aut ſi darētur; oſtendimus ad art. 2. Eos velint nolint ſubditos eſſe in Regno Dei naturali. Præterea Regnum naturale definit, *in quo Deus regit per dictamina rectæ rationis*, hoc eſt leges naturales. per *art.* 1. *cap.* 3. atqui huic

hinc ſequitur, aut Regnum Dei naturale non eſſe Regnum propriè & accurate loquendo; adoque propriè & accuratè loquendo non duplex, ſed unicum tantum eſſe Regnum Dei, nempe *Propheticum*. Quod videtur eſſe contra hunc art. aut leges naturales eſſe leges propriè & accuratè loquendo, quod eſt contra *art.* 33. *cap.* 3.

Quantùm ad *Regnum Propheticum*; dicit, id eſſe, *in quo regit etiam Deus per verbum Propheticum*. Atqui per verbum Propheticum rexit etiam Deus homines primos in ſtatu innocentiæ, & poſt lapſum eorum poſteros etiam ante tempora Abrahami: neque enim iis defuerunt revelationes Propheticæ, & leges quædam poſitivæ. *Gen.* 2. 3. 4. 6. 9. *Jud.* v. 14. 15. Jam dicat nobis, quale tum temporis cenſeat fuiſſe Regnum Dei? ſi naturale tantum, falſum eſt, in Regno naturali regnare Deum tantùm per dictamina rectæ rationis; ſi Propheticum, malè docet *art.* 1. *cap.* 16. Regnum Dei

Propheticum initium demum cæpiſſe à pacto, quod Deus iniit primùm cum Abrahamo. 2. Poſt lapſum Adami nullum unquam fuit Regnum Dei Propheticum, quod idem non fuerit gratiæ; ideoque in Regno hoc Dei, quod ſemper reſpexit *vel populum aliquem peculiarem, aut ſaltem certos quoſdam homines à ſe electos*, non regnavit tantùm Deus præter dictamina rectæ rationis per leges poſitivas, ſeu verbum Propheticum; ſed & internè & efficaciter per internam & efficacem operationē Spiritus Sancti. *Jer.* 31. 33. Nam erigitur & promovetur hoc Regnum Dei per vocationem divinam, quæ non tantùm externa eſt per prædicationem verbi Dei Prophetici; ſed & pręcipuè interna quoque & efficax, quâ Deus in certis quibuſdam hominibus à ſe electis efficaciter operatur per Spiritum S. ad obedientiam fidei flectens corda eorum. *Joh.* 6. 44.
„Sed negat ille, Regnum Dei Prophe-
„ticum eſſe propriè *Regnum gratiæ*; aut
„Re-

,,*Regnum gratiæ*, quod tale dicitur ,,Theologis, eſſe propriè *Regnum*, ,,ſed metaphoricè ita appellari; pro-,,priè autem Regnum Dei in S. Scri-,,pturâ nihil aliud ſignificare, quam ,,poteſtatem Dei ſupremam in ſubdi-,,tos aliquos, eorum conſenſu acqui-,,ſitam; poteſtatem autem illam non ,,eſſe niſi politicam & civilem, quâ ,,Deus populum ſuum regit per ſuos ,,legatos, proreges, aut vicarios, hoc ,,eſt, Reges & Principes. *Leviath. cap.* 35. Sed 1. Imperia Regum & Principum hujus mundi reſpiciunt tantum actiones ſubditorum externas; ad actiones internas intellectus & voluntatis non pertingunt, illas neque cognoſcunt, neque leges præſcribunt, neque puniunt; at Deus homines regit non tantùm quoad actiones externas, ſed & internas; iiſque leges præſcribit, eas novit & punit, ſi exorbitent, nec regit tantum per dictamina rationis naturalis; ſed & maximè per verbum ſuum Propheticum. *Rom.* 7. 7, 14. Se-

Digitized by Google

quitur ergo præter Regnum civile quo Deus homines regit per Reges & Principes, de quo *Proverb.* 8. 15. aliud eſſe Regnum Dei, quod ſibi ſoli reſervavit, à Regnis Politicis diſtinctum. Rurſus Reges & Principes ſubditis ſuis leges præſcribunt, earumque obſervantiam iiſdem præcipiunt, pœnaſque ſtatuunt delinquentibus; non autem in eorum poteſtate eſt corda ſubditorum flectere ad obedientiam; at Deus Rex talis eſt, qui non tantum voluntatem ſuam in verbo ſuo per Prophetas & Apoſtolos nobis revelavit, normam vitę noſtræ, & media ad æternam ſalutem per D. N. J. Chriſtum obtinendam continentem; verum etiam efficaci Spiritus S. operatione ad obedientiam flectens corda electorum. *Phil.* 2. 13. atq; hoc Regnum Dei eſt, quod *Regnum gratiæ* appellamus, à Regnis hujus mundi δὶς διὰ πασῶν diſtinctum. *Joh.* 18. 36. Regnumq; Dei dicitur non metaphoricè, idq; tantum arbitrio Theologorum; ſed propriè

præ-

prȩeunte nobis S. Scripturâ in locis innumeris. *Exod.* 19. 6. Coll. 1 *Petr.* 2. 9, R*om.* 6. 14. *Matt.* 3. 2. & 5. 3. & 12. 28. & 13. paſſim; ibid. *cap.* 21. 43. ibid. 11. 12. *Marc.* 4. 26, 30. *Luc.* 17. 20, 21. & 9. 62. *Joh.* 3. 3, 5. R*om.* 14. 17. 1. *Cor.* 4, 20. C*ol.* 1. 13. & 4. 11. *Apoc.* 12. 10. Atque alibi. Præterea Regnum Dei gratiæ nihil eſt aliud, quam Eccleſia militans; at vicarius, legatus, prorex, per quem Eccleſiam ſuam regit Deus, non eſt Rex, aut Ptinceps aliquis aut Imperator ſed ſolus Chriſtus Angelus ille fœderis, caput Eccleſiȩ ſuæ, Rex Regum & Dominus Dominantium. vid. *Pſ.* 2. 6. *Eph.* 1. *Matt.* 28. 18. Omnis poteſtas, quâ homines aliqui gaudent in Eccleſiâ, eſt tantùm miniſterialis ſub Chriſto, nulla dominans. *Matth.* 20. 25, 26. *Luc.* 22. 25, 26. 1 *Petr.* 5. 3. At poteſtas regia & Imperatoria, omniſque poteſtas civilis & politica eſt dominans; non ergo Reges & Principes ſunt in Regno Dei Prophetico Dei legati, proreges & vicarii;

 nec

unquam in S. Literis talibus titulis inveniuntur inſigniti; neque Regnum Dei Propheticum *civile* rectè appellatur. Nec obſtat, quod dicit, R*egnum propriè ſignificare poteſtatem ſupremam conſenſu ſubditorum acquiſitam; non ergo* Regnum Dei, *quod gratiæ dicitur à Theologis*, P*ropriè eſt* R*egnum* Dei. Nam 1. Non omne Regnum propriè dictum pendet à cenſenſu ſubditorum: ex. gr. Imperium patris in filios eſt Regnum propriè dictum (familia enìm eſt parvum Regnum) at hoc non conſenſu filiorum, ſed jure generationis acquiritur. 2. Omne Regnum Dei eſt abſolutum & independens; ut ergo Deus propriè loquendo Regnum habeat ab hominum conſenſu non dependet; velint nolint homines, Deus Opt. Max. Jure creationis rex eſt univerſi generis humani. 3. Conſenſus ille ſubditorem intelligi poteſt aut Regnum Dei antecedens, aut conſequens; Regnum Dei nullum pendet à conſenſu hominum antecedente, conſen-
ſus

ſus conſequens, quo homines Regnum Dei in ſeſe agnoſcunt, eique ſeſe ἀνυποχείρως ſubjiciunr, neceſſario requiritur ut aliquis verus ſubditus ſit in Reguo gratiæ; hoc eſt, ſit verum membrum Eccleſiæ ſub Domino J. Chriſto; ſive (ſi ita loqui malis) ſubditus in Regno Dei Prophetico; & quia conſenſus ille non eſt à liberâ hominum voluntate, ſed à gratiâ Sp. Sancti, ideo Regnum Dei Propheticum idem eſt, ac Regnum Dei, quod *Regnum gratiæ* appellatur. Denique ſupponit, quod ſuo loco & tempore falſiſſimum eſſe demonſtrabimus; *neminem pacta inire poſſe cum divinâ Majeſtate, neq; illi voto obligari*, hoc eſt, Deum acquirere non poſſe ſupremam poteſtatem conſenſu hominum in Regno ſuo Prophetico, *niſi quatenus viſum illi eſt, per Scripturas ſacras ſubſtituere ſibi aliquos homines, qui authoritatem habeant vota & pacta ejuſmodi expendendi & acceptandi, tanquam illius vicem gerentes.* Quod tradit *art.* 12. *cap.* 2. Sed

 de

de hiſce plura ad capita ſeqq.

ART. 5. 6. 7.

An jus regnandi Deo ſit à ſolâ potentiâ irreſiſtibili; & obligatio obedientiæ Deo præſtandæ procedat ab imbecillitate humanâ?

DIſcuſſis autem jam iis, quę de Regno Dei in genere in pręcedentibus articulis tradidit Auctor; reſtat porro ut jam reliqua quæ in ſpecie tradit de *Regno Dei naturali* ſimiliter examinemus; & quidem. 1. Unde dicat Deo jus eſſe regnandi & puniendi eos, qui leges ſuas violant, & obligationem obedientiæ Deo præſtandæ procedere *in* R*egno* ejus *naturali*. 2. Quas eſſe leges hujus Regni. 3. Denique quanta ſit Imperantium in hoc Regno Dei Authoritas in leges naturales. Quantum ad primum; *in* R*egno naturali*, inquit art. 5. R*egnandi & puniendi eos, qui leges ſuas violant jus Deo*

eſt

eſt à ſolâ potentiâ irreſiſtibili; & art. 7. *Quod ſi jus regnãdi habeat Deus ab omnipotentiâ ſuâ, manifeſtum eſt, obligationem ad preſtandam ipſi obedientiam incumbere hominibus propter imbecillitatem*; cui conſentaneum eſt quod tradit „art. 14. cap. 1. in ſtatu hominum na-„turali potentiam certam & irreſiſti-„bilem jus conferre regnandi impe-„randique in eos, qui reſiſtere non „poſſunt; adeo ut omnipotentiæ ab eâ „cauſâ, omnium rerum agendarum „jus eſſentialiter & immediatè adhæ-„reat; de quo ad iſtum locum. Non negamus, jus regnandi Deo competens conſiſtere etiam in omnipotentiâ ejus; ſed in eâ ſolâ conſiſtere. Nam, 1. Potentia ſupponit intellectum & voluntatem; intellectus eſt facultas dirigens, voluntas imperans, potentia exequens; Deus igitur utpote ipſa ſapientia, omniſq; ſapientiæ, rationis & æquitatis fons & origo, nihil exequitur per potentiam, niſi quod ſecundum ſapientiſſimum ſuum conſilium ſan-

ctè & juſtè decrevit; non ergo jus regnandi Deo eſt à ſolâ potentiâ irreſiſtibili. 2. Oſtendimus ad *art.* 14. *cap.* 1. Potentiam ſolam irreſiſtibilem jus regnandi conferre non poſſe; quod præter dicta ad illum art. etiam inde colligitur; homo poſt lapſum peccato ſuo excidit jure dominii, quod ante lapſum habuit in reliqua animantia; non tamen ratione multorum animalium potentiâ irreſiſtibili. Adde notanda ad *art.* 10. *cap*, 8. 3. Jus regnandi Judicio omnium politicorum in tribus conſiſtit; in *ordinando, judicando* & *vindicando:* nec diſſenti Hobbes *art.* 4. & ſeqq. *c.* 6. Ad primum pertinet jus leges condendi, eaſque promiſſis & minis ſanciendi; nec ſine ratione ad hanc rem ſapientiam requirunt JCti; imo, quamvis legum ferendarum poteſtas pertineat ad eum ſolum, qui ſummum in civitate imperium habet, non poſſe tamen ſine conſilio ſapientum leges dari. *Beſold. Syn. pag.* 68. Ad alterum de factis ſubditorum ſecundum leges judi-

judicare, eoſque pro re natâ vel abſolvere, vel condemnare; ad tertium jus puniendi tranſgreſſores. Jus ergo leges ferendi, & ſecundum leges judicandi Deo potiſſimum convenit ratione ſapientiæ ſuæ, ſanctio legum quoad promiſſiones Deo eſt ab immenſâ ſuâ & liberali benignitate, quoad comminationes à juſtitiâ, punitio à juſtitiâ vindicante, & ſimul à potentiâ ſuâ irreſiſtibili. 4. Jus regnandi Deo eſt ab ipſius ὑπεροχῆ; at hæc non eſt unum aliquod attributum Dei, ſed perfectio quædam ex omnibus attributis reſultans, eaq; omnia ſimul complectens. *Exod* 34. 6, 7, 8. *Deut.* 32. 3, 4. *Pſ.* 29. 2. *Pſ.* 145. Singula itaque attributa Dei huc aliquid conferunt ad obedientiam & religionem erga Deum nobis ingenerandam; miſericordia ejus *Pſal.* 130. 4. Benignitas ergà nos. 1 *Cor* 6. 20. *Rom.* 12. 1. Auctoritas & poteſtas Dei præcipientis. *Jac.* 4. 12. *Jer.* 18. 6. Sanctitas 1 *Petr.* 1. 15. Juſtitia. *Deut.* 4. 24. *Heb.*

 12, 29.

12. 29. Præter hæc ſecundariò æquitas & utilitas rerum præceptarum. *Rom.* 2. 15. In quâ elucet Dei ſanctitas & benignitas; in obedientiâ illâ conſiſtit noſtra perfectio & beatitudo. *Deut.* 32. 47. Ipſius Dei perfectionis & beatitudinis argumentum; præterea merces & promiſſiones. 2 *Cor.* 7. 1. In quibus Dei miſericordia & gratia; miſeria, qnæ incurritur ab iis, qui Deo in omnibus obedire detrectant, *Deut.* 28. 16. *Hebr.* 12. 29. In qno ipſius juſtitia elucet. 5. Obligationem etiam obedientiæ Deo præſtandæ non procedere ab imbecillitate humanâ tantum, ſeu, quod perinde eſt, à ſolâ potentiâ irreſiſtibili, etiam hoc argumento probamus: id fundat in Deo jus regnandi, ſeu ab eo proficiſcitur obligatio obedientiæ Deo præſtandæ, ratione cujus Deo à nobis debetur laus, honor & cultus, adeoque à nobis eſt amandus, timendus, ſpes & fiducia in ipſo collocanda; ſed illa à nobis Deo debentur non tantum ratione

one omnipotentiæ ejus; ſed & bonitatis & aliorum attributorum Eſſentię Divinæ; quod ipſe Auctor ſui oblitus Paulo poſt agnoſcit *art.* 9. quando *honorem* Deo debitum docet *conſiſtere in opinione Divinæ potentiæ conjunctæ cum bonitate, quam tres affectus conſequuntur; Amor, qui ad bonitatem, ſpes & timor, qui ad potentiam referuntur.* Sic etiam de cultu Dei Philoſophatur, ut quem *nihil aliud eſſe* docet, *quam actum externnm, honoris interni ſignum*; & cultum, qui verbis & factis conſtat, docet *art.* 10. conſiſtere in tribus: quorum primum eſt *laus ſive predicatio bonitatis*, ſecundum *μεγάλυνσις ſive prædicatio potentiæ*; tertium *μακαρισμὸς, prædicatio felicitatis.* Fluit ergo obeditntia Deo præſtanda non à ſolâ omnipotentiâ Dei; ſive, quod eòdem redit, à ſolâ imbecillitate humanâ. 16. Majoris momenti eſt ſapientia in Regno aliquo adminiſtrando, quam potentia, ut liquet *Eccleſ.* 9. 15. 18. ergo magis rationi conſentaneum eſt,

eſt, à ſapientiâ, quam à potentiâ jus regnandi procedere; unde non immerito Ariſt. *Quod ſiquis eſſet, qui reliquos omnes homines ſapientiâ ſuperaret, illum fore dignum, cui omnes mortales Imperium deferrent.* 7. Cum quæritur, unde Deo ſit jus Regnandi in homines, non quæritur de potentiâ Phyſicâ, quâ Deus poſſit aliquid efficere; ſed de qualitate morali; unde ſc. ſit, quod jure poſſit; at conſtat, id à ſolâ potentiâ irreſiſtibili non eſſe. 8. Omnes creaturæ ratione preditæ dependent à Deo in eſſe reali non tantùm, ſed & in eſſe morali; at illud, ratione cujus creaturæ à Deo dependent in eſſe morali, eſt Dei ipſius primitas & independentia; jus ergo regnandi, quod Deo competit, conſiſtit etiam in ipſius primitate & independentiâ. 9. Inde Deo eſt jus regnandi, unde dignus eſt habere Imperium; at illud non eſt ſola potentia, ſed ἐξουσία & ὑπεροχὴ, ſive excellentia naturæ divinæ, quam pulchrè tribus complexus. Eſt

The-

Themiſtius; ſc. ἀϊδιότητι ζωῆς, περιουσίᾳ δυνάμεως, καὶ τῷ μὴ διαλείπειν εὐποιεῖν ἀνθρώπους; *æternitate vitæ, exuberantiâ potentiæ, atque eo, quod non deſinat hominibus benefacere. Orat.* 16. Denique norunt omnes deſtinguere jus ab illius uſu & exercitio; hoc propriè eſt à Dei omnipotentiâ, illud ab illius ἐξοχῇ.

Ille tamen probat, jus regnandi Deo eſſe à ſolâ potentiâ irreſiſtibili, ſed quo argumento? *jus enim,* inquit, *omne in alios vel à naturâ eſt vel à pacto.* A pacto jus hoc regnandi in homines Deo non eſſe, concedimus: ſed an, quia à naturâ eſt, ideo eſt à ſolâ potentiâ irreſiſtibili? ſic ille arbitratur; unde ſic porro diſſerit: *A naturâ jus regnandi in alios derivatur eo ipſo, quod à naturâ non ſit ſublatum; cum enim per naturam jus eſſet omnibus in omnia, unicuique erat jus in omnes regnandi ipſi naturæ coævum; cauſa autem, quare inter homines id abolitum fuerit, alia non erat, præter mutuum metum &c. Quod ſiquis cæteros po-*

ten-

tentiâ in tantum anteiſſet, ut reſiſtere ei ne omnes quidem conjunctis viribus potuiſſent, ratio, quare de jure ſibi à naturâ conceſſo decederet, nulla fuiſſet; manſiſſet igitur ei jus dominii in cæteros omnes propter potentiæ exceſſum; iis igitur, quorum potentiæ reſiſti non poteſt, & per conſequens Deo *omnipotenti jus dominandi ab ipſâ potentiâ derivatur.* Reſp. hoc argumento. 1. Non probat, quod erat probandum: ſc. à ſolâ omnipotentiâ jus, de quo agimus, derivari. 2. Abſurdum eſt, quod dicit in hoc argumento, *à naturâ jus regnandi derivari, eo ipſo quod à naturâ non ſit ſublatum;* hoc eſt, in Deo jus illud regnandi fuiſſe, antequam in Deo à naturâ ſit derivatum. 3. Multa abſurda & falſa ſupponit. 1. Per naturam jus eſſe omnibus in omnia. De quo ad *art.* 10. *cap.* 1. 2. Nec ſequitur; ſi per naturam omnibus jus eſſet in omnia, unicuiq; ideo fore jus in omnes regnandi ipſi naturæ coævum; jus enim dominii in res aliquas non infert jus regnandi

in

in perſonas, quæ in eaſdem res idem jus habent; ſed potius æquales forent omnes, & ſui juris, neque ullus in alios imperium ſibi arrogare jure poſſet; imo implicat contradictionem, eundem hominem reſpectu eorundem hominum ſimul eſſe dominum & ſubditum. 3. Et falſum eſt; cauſam, quare jus omnium in omnia, ſeu jus regnandi unicujuſque in omnes ſit ſublatum, aliam non eſſe præter mutuum metum; hoc eſt (ut clariùs dicam) mutuum hominum metum eſſe unicam & primariam cauſam & originem ſocietatis civilis; de quo ad *art.* 2. *cap.* 1. 4. Item omnes homines naturâ inter ſe eſſe æquales ad *art.* 3. *ejuſdem cap.* 5. Item à jure regnandi hominis alicujus in alios homines procedere conſequentiam ad jus regnandi Dei in creaturas rationales, atque idem eſſe utriuſque juris fundamentum.

Objicit ſibi. At *Deus peccatorem punit, vel etiam interficit, quia peccaverat;* vi-

videtur ergo jus puniendi Deo eſſe à peccato hominis. Difficultati huic ſic occurrit; *Etſi*, inquit, *ideo puniat, quia peccaverat; non tamen dicendum eſt, non potuiſſe Deum eundem juſtè affligere, vel etiam occidere etſi non peccaſſet; Neque ſequitur: ſi voluntas Dei in puniendo peccatum antecedens reſpicere poſſet, ideo affligendi vel occidendi jus non à potentiâ divinâ dependere, ſed à peccato hominis.* Reſp. fatemur non ſequi; *quia Deus peccatorem punit propter peccatum, ideo jus puniendi in Deo eſſe à peccato hominis;* qui error eſt Remonſtr. *in ſcriptis Synod. ad Rom.* 9. 21. in *apolog. pag.* 54. *Armin. diſp. priv. theſ.* 27. *de Dominio Dei.* & in *examine theſium Franc. Gomari de prædeſt. ad theſ.* 27. Sequi tamen contendimus, ſaltem peccatum eſſe antecedentem conditionem, ſine quâ Deus hominem nec punire vult, nec ſalvâ ſuâ naturâ poteſt. *Rom.* 1. 32. & 5. 12. & 6. 23. Non enim Deus per potentiam irreſiſtibilem affligit vel interficit homines, niſi convenienter

ſuæ

ſuæ ſapientiæ, ſanctitati, juſtitiæ, bonitati &c. *Deut.* 32. 4. *Exod.* 34. 6, 7. Unde illud apud Rabbi Moſen Maimonidem. *Et ſic dixerunt verè ſapientes magiſtri noſtri; non eſt mors abſq; peccato, & non ſunt caſtigationes abſq; delicto.* Neq; ſequitur; quia homines affligendi vel occidendi jus Deo non eſt ab eorum peccato, ideo illud à ſolâ potentiâ divinâ dependere.

ART. VI.

An cauſa, quare bonis mala & malis bona contingunt, unica ſit; quod jus regnandi, & puniendi Deo ſit à potentiâ irreſiſtibili?

PErgit tamen, & inſtitutum ſuum etiam ex S. Scripturâ probare conatur. *Quæſtio*, inquit, *iſta diſputationibus antiquorum nobilitata (quare bonis mala, & malis bona contingant) eadem eſt cum hâc noſtrâ; quo jure Deus bona & mala hominibus diſpenſet? Et difficultate*

ſuâ

Digitized by Google

ſuâ non ſolum vulgi, ſed etiam Philoſophorum, & quod majus eſt, ſanctorum hominum de divinâ providentiâ fidem vacillare fecit; Pſal. 73. 1, 2. &c. & Job &c. Solvit, inquit, *difficultatem hanc in caſu Jobi Deus ipſe vivâ voce, & jus ſuum argumentis non à peccato ejus, ſed à potentiâ propriâ deſumptis confirmavit.* Atque huc refert *Job.* 38. *vers* 3. *&c. cum Job.* 42. *vers* 7. Addit dictum Servatoris *Joh.* 9. *vers* 3. Fatemur quæſtionem propoſitam diſputationibus antiquorum eſſe nobilem; demus etiam, eandem illam eſſe cum noſtrâ; *quo jure Deus bona & mala diſpenſet hominibus*; quæſtionem autem hanc difficultate ſuâ non ſolum vulgi, ſed etiam Philoſophorum fidem de providentiâ Dei vacillare feciſſe, mirum non eſt; quoniam luce verbi Dei caruerunt: ſed ſanctos Dei homines, quibus verbum Dei alluxit, cum difficultate hâc colluctaſſe, magis admirandum. Veruntamen Philoſophi gentiles, ſi ductum rectæ rationis fu-
iſſent

iſſent ſequuti, nec veritatem in injuſtitiâ detinuiſſent, ad *Rom.* 1. Quoniam & Deum eſſe, & providentiâ ejus omnia gubernari certis rationibus cognoverunt; ut videre eſt apud *Cic. de naturà Deorum*; inde ad animarum immortalitatem aſſurgere potuiſſent & ad pœnas & præmia poſt hanc vitam; ut & multi fecerunt: Plutarchus *tract. de ſerâ Numinis vindictâ*; de Socrate nos dubitare non ſinunt egregiæ illæ orationes, quas ſub cicutæ ipſius hauſtum ipſum pronuntiaſſe legimus apud Platonem & Xenephontem. Sancti autem homines, quamprimum ingreſſi fuerunt ſanctuarium Dei, longè aliter hâc de re ſenſerunt; nimirum, *nec bonis malè, nec malis benè eſſe poſſe* etiam in hâc vitâ; quod nec fugit quoſdam inter Ethnicos Philoſophos. Præclarè hâc de re *Senec. libr. de providentiâ*; Judicium ſapientiſſimi hominum hâc de re extat. *Eccl.* 8. *v.* 12, 13, 14. Quantumvis enim non negemus cum Stoicis, inj rias & afflictiones,

nes, quæ bonis in hâc vitâ obtingunt, ἁπλῶς eſſe mala, ſi in ſe ſpectentur; & bona fortunæ, quæ hic obtingunt malis, in ſe ſpectata eſſe bona; non tamen mala iſta bonis, & bona iſta malis revera mala ſunt & bona. *Rom.* 8. *v.* 28. *Jac.* 1. *v.* 2. & 12. *Rom.* 5. *v.* 3, 4, 5. 1 *Petr.* 1. 6. *Prov.* 2. 12. *Hebr.* 12. *per totum.* 1 *Cor.* 11. 32. *Pſ.* 119. 71. cum *Pſ.* 69. 23. & 5. 6. &c. *Jer.* 12. 3. Et Regius vates, cum diu cum hâc difficultate colluctaſſet, tandem hâc ratione ſeſe expedivit. *Pſal.* 73. *vers* 17. uſque ad finem. vid. Philipp. *Mornæum de veritate religionis Chriſt. cap.* 12. *&* 13. *Maccov, loc. com. cap.* 46. *pag.* 448. *& ſeqq.*

Jobus, fateor, quandoque infirmitatem ſuam in graviſſimis ſuis tentationibus verbis tanto viro indignis prodidit; at, *acriter cum Deo expoſtulaſſe, quod juſtus cum eſſet, tantis tamen calamitatibus affligeretur*, non legitur; Imo contrà peccatorem ſe eſſe non ſemel confeſſus eſt, & veniam pecca-

to-

torum ſuorum à Deo precatus, etiam ibi, ubi graviſſimè de calamitatibus ſuis conqueritur. *cap.* 7. & 9. *v.* 2, 3. & 13. *v.* 23. 26. At in diſputatione cum amicis ſuis talem ſe non eſſe defendit, qualem ipſum eſſe illi ex ipſius calamitatibus malè colligebant; juſtitiam *cauſa* ſuæ, non *perſona* defendit. Imo malis benè, & bonis malè eſſe non poſſe revera, ipſe Job diſputat *cap.* 21. *Sed*, inquit, *ſolvit difficultatem hanc in caſu Jobi ipſe Deus vivâ voce, & jus ſuum argumentis non à peccato ejus, ſed à potentiâ propriâ deſumptis confirmavit Job.* 38. *v.* 5. *& ſeqq.* Reſp, Deus loco citato Jobo ante oculos ponit Majeſtatem ſuam in operibus ſuis admirandis elucentem, quò Jobum ad humilitatem & peccatorum ſuorum agnitionem magis provocaret. *cap.* 39. *v.* 35. 36. 37. & *c.* 42. *v.* 6. Et ſimiliter in ipſo reprehendit, quod ipſius juſtitiam & potentiam pro merito non agnoviſſet; quod fecit Deus, non ut juſtitiam ſuam in ipſo affligendo argumento

à po-

Digitized by Google

à potentiâ ſuâ irreſiſtibili deſumto aſſereret, aut jus ſibi eſſe affligendi innocentes à potentiâ ſua irreſiſtibili; ſed ut os Jobi comprimeret, ne obmurmuraret adverſus Deum ob calamitates ſuas. Quodque Deus de amicis Jobi *cap.* 42. *v.* 7. *iratum ſe*, ait, *contrà eos, quod non loquuti fuerint rectum coram eo, ſicut ſervus ejus Job*, à nobis dictis non obſtat, quid hoc de caſu loquutus fuerit Job, videre eſt *cap.* 21. & alibi; amici autem Jobi in eo meritò à Deo reprehenſi ſunt, quod ex Jobi calamitatibus colligerent, eum eſſe impium aut hypocritam. Dictum Servatoris *Joh.* 9. *v.* 3. Nihil facit ad rem; rectè enim Servator dictum hoc oppoſuit Judæis, qui malè collegerunt, cœcum hunc vel parentes ejus gravioris alicujus criminis reos fuiſſe; non dicit ergò Servator, eos ab omni peccato fuiſſe immunes; nec jus fuiſſe Deo à ſolá poteutiâ irreſiſtibili hunc miſerum hominem ita affligendi ſine intuitu peccati; ſed *ut opera Dei*

ma-

manifeſtarentur in illo; quod & factum, ubi Chriſtus ei viſum miraculoſè conceſſit. *v* 4.

Objicit tandem ſibi *Rom.* 5. *v.* 12. *mortem intraſſe in mundum per peccatum.* Reſpondet; *quanquam hoc dictum ſit, non ſequitur, quin Deus jure ſuo potuerit homines & morbis & morti obnoxios feciſſe, etiamſi nunquam peccaſſent; quemadmodum cætera animalia mortalia fecit & morboſa, etiamſi peccare non poßint.* Reſp. Certè inde ſequitur, nec calamitates ſuas Jobo, nec cœcitatem cœco eveniſſe citra peccatum; cùmque conſtet ex S. Scripturâ, per peccatum mortem in mundum introiiſſe; mortem autem in mundum introire potuiſſe, etiamſi homo non peccaſſet, non conſtet; temerarius eſt, qui tamen hoc citra Scripturam definire præſumit. Nec ſequitur; *cætera animalia &c. ergo Deus jure ſuo potuit homines morbis & morti obnoxios feciſſe.* Nam. 1. quod cætera animalia ſint morbis & morti obnoxia, eſt à pec-

cato hominis. *Rom.* 8. *v.* 20. 2. alia eſt ratio hominis, alia aliorum animalium; hæc enim ſicut defectu rationis peccati non ſunt capacia, ita nec juris aut injuriæ. Quin non deſunt rationes, quibus probari poſſet, Dei bonitatem, ſanctitatem, & juſtitiam non permittere, ut homines conderet mortales: mors enim eſt malum quid; Deus autem non eſt auctor mali: alia eſt ratio, cùm ob peccatum immittitur; quia tum habet rationem pœnæ. Vide *Maccov. l. com. pag.* 423.

ART. VII.

An obligatio obedientiæ Deo præſtandæ procedat ab imbecellitate humanâ?

COincidit quæſtio hæc cum præcedente; *an jus regnandi Deo ſit à ſolâ potentiâ irreſiſtibili?* quare inquit; *Quodſi jus regnandi habent Deus ab omnipotentiâ ſuâ, manifeſtum eſt, obligationem ad præſtandam ipſi obedientiam incumbere hominibus propter imbecillitatem.* Vide igitur ad *art.* 5. *&* 6. Inſtitutum ſuum probat hoc modo; *omnis*

omnis obligatio oritur vel ex pacto, vel à naturâ; at obligatio, quæ ex pacto oritur, hic, ubi jus imperandi, nullo intercedente pacto, à naturâ oritur, locum habere non poteſt. Reſp. 1. Notum eſt ex S. Scripturâ, Deum cùm primùm hominem creâſſet, pactum ſeu fœdus iniiſſe cum eo, & poſteris ejus; quod Theologis *fœdus operum* ſeu *legale* appellatur; quo pacto Deus homini leges preſcripſit, quæ ſunt eædem illæ, quas naturæ appellamus, & ſummatim continentur in decalogo; ſanxit eas minis & promiſſionibus; formula hujus fœderis exſtat *Gen.* 2. 17. *Levit.* 18. *fac hoc & vives; ſi non feceris, morte morieris;* vi cujus pacti omnes adhuc homines obligati ſunt ad obedientiam Deo præſtandam; ut liquet *Rom.* 3. 19. falſum ergo, in regno Dei naturali obligationem, quæ eſt ex pacto, locum habere non poſſe. Fatemur tamen, homines ad obedientiam Deo præſtandam non minùs obligari potuiſſe, quamvis

nullum tale pactum interceſſiſſet; leges etiam naturæ, & obligationem ad obedientiam & obſervationem earum ſub ratione fæderis naturaliter homini non innoteſcere. 2. Neque ſequitur, ſi obligatio præſtandæ Deo obedientiæ eſt à naturâ, ergo ab imbecillitate humanâ. Sed pergit, *obligatio*, inquit, *omnis, quæ à naturâ oritur, vel fit, quando libertas impedimentis corporeis tollitur, vel quando tollitur ſpe & metu; juxta quam infirmior potentiori, cui reſiſtere ſe poſſe deſperat, non poteſt non obedire; à ſecundo hoc obligationis genere naſcitur, hoc eſt, à metu, ſive imbecillitatis propriæ conſcientiâ, quòd in regno* Dei *naturali ad obediendum* Deo *obligamur.* Verùm 1. non probat quod erat probandum; ſc. à ſolâ potentiâ irreſiſtibili, ſeu imbecillitate humanâ obligationem illam procedere. 2. Hoc argumentum manifeſtè principium petit; aſſumit enim ſine ullâ probatione, quod in quæſtione eſt; ſc. an obligatio obedien-

tiæ

tiæ Deo præſtandæ, ut ſit naturalis, procedat à ſpe & metu, hoc eſt, à ſolâ imbecillitatis propriæ conſcientiâ. 3. Hîc nullam libertatem agnoſcimus, aut concipere poſſumus præcedaneam; quæ per obligationem tolleretur, magis, quàm independentiam quandam intelligere poſſumus in creaturâ præcedaneam, quæ tolleretur per creationem. 4. Siquidem ſpes & metus ſint actus obedientiæ Deo debitæ, quî dicit, obligationem ad obedientiam Deo debitam ab iis proficiſci? Quod ſi dicat, reliquos actus obedientiæ à ſpe & metu proficiſci; ſpem vero & metum ab imbecillitate humanâ, aut omnipotentiâ Dei, ſupponit quod erat probandum.

Inſtat annotatione ad hunc art: *Si cui*, inquit, *durum hoc videbitur, illum rogo, ut tacitâ cogitatione conſiderare velit, ſi eſſent duo omnipotentes, uter utri obedire obligaretur; confitebitur credo, neutrum neutri obligari; ergo homines* Deo *ſubjecti ſunt, quia omnipotentes non ſunt:*

addit dictum Chriſti ad Paulum, *Act.* 9. *ne contra ſtimulum calcitraret* ; *quo obedientiam ab illo exegiſſe videtur, quod ad reſiſtendum ſatis virium non haberet.* Reſp. 1. Ineptiſſimum argumentum, ut quod procedit ab hypotheſi abſurdâ & impoſſibili. 2. Ex quâ ſequitur, non magis neutrum neutri, quam alterum alteri obligandum eſſe; quia in utroque eſſet fundamentum juris regnandi, putà potentia irreſiſtibilis; & ſimul fundamentum obligationis ad obedientiam, ſc. imbecillitas propter utriuſque omnipotentiam, ſeu potentiam irreſiſtibilem. 3. Negatur conſequentia: nam eodem modo probabo, homines Deo ſubjectos eſſe, non tantùm propter omnipotentiam ejus, ſed ὑπεροχὴν; ſc. ſi eſſent duo infinitæ perfectionis, neuter neutri obligabitur; hoc ſi verum eſt, verum etiam eſt, homines ideo Deo ſubjectos eſſe, quod non ſunt infinitâ perfectione præditi. Dictum Servatoris ad Paulum ad rem non facit.

facit. Nam. 1. hoc argumento Chriſtus Paulum non tam ad obedientiam adhortatur, quam à perſequutione Eccleſiæ dehortatur. 2. Non ibi aſſignatur fundamentum, ſed motivum tantùm à damno, quod ſibi crearet Paulus, ſi Chriſtum, hoc eſt, Eccleſiam ejus, perſequi perſeveraret.

A R T. V I I I.

De Legibus Dei in regno ſuo naturali.

HActenus de Regno Dei naturali, unde Deo jus regnandi in homines doceat derivari, vidimus. Sequitur jam, ut ſimiliter, quid de legibus hujus regni, ſeu (ut ipſe loquitur) *legibus Dei per ſolam rationem naturalem regnantis* tradat, porro inſpiciamus. Ubi verum eſt; *Verbum Dei per naturam ſolam regnantis aliud non ſupponi, præter rectam rationem, ſeu leges naturales.* Ea verò quæ notanda ſunt ad *cap.* 2. *&* 3. ubi gloriatur, ſe leges naturales enumeraſſe, quæ pertinent

ad officia hominum ad ſe invicem, hâc vice præterimus; ut &, quod ibidem oſtendendum, quàm malè bonitatem actionum moralium doceat formaliter in eo conſiſtere, quòd ſint *in ordine ad pacem*; malitiam, quòd ſint *in ordine ad diſcordiam*. Hoc loco autem, quas tradat leges naturales circa honorem & cultum divinæ Majeſtatis (quas *ſacras* appellat) expendemus; & quidem, 1. Quid doceat de honore & cultu in genere; ut, quid ſit *honor & cultus. art.* 9. cultus in quibus conſiſtat *art.* 10. Quotuplex ſit. *art.* 11. & 12. Denique de cultus fine & ſcopo. *art.* 13. Tum 2. ſpeciatim de honore & cultu divinæ majeſtatis. *art.* 14. *& ſeqq.*

ART. IX.

Honor & cultus quid ſint?

HOnor, inquit, *propriè loquendo nihil aliud eſt, quam opinio alienæ potentiæ conjunctæ cum bonitate; cultus autem eſt actus externus honoris interni*

„*ſignum.* *Art.* 4. *cap.* 18. diſtinguit
„inter *fidem* & *profeſſionem*; docetque
„illam cum aſſenſu interno ſemper
„conjunctam eſſe, hanc non ſemper:
„illam eſſe animi perſuaſionem inter-
„nam, hanc obedientiam externam.
„*Art.* 6. 10. 14. alium articulum præ-
„ter hunc, *Jeſum eſſe Chriſtum*, ad
„ſalutem fide internâ non eſſe neceſ-
„ſarium; in reliquis rebus omnibus
„tam temporalibus, quam ſpirituali-
„bus obedientiam deberi ſummis Im-
„perantibus, eamque præſtari qui-
„dem poſſe, etſi quis non internè
„credat, quæcunque ab Eccleſiâ ſive
„Civitate Chriſtianâ proponuntur.
„*art.* 13. & 14. Atque hanc eſſe obe-
„dientiam, quæ unà cum fide ad ſalu-
„tem eſt neceſſaria. per *art.* 2. *ejuſ-*
„*dem cap.* Unde colligitur, in doctri-
nâ Auctoris fide internâ poſſe hono-
rari Deum, quamvis ei profeſſio ex-
terna non reſpondeat; & profeſſione
externâ coli abſque internâ animi
perſuaſione & fide: non igitur temerè

 eſt

eſt, quod hoc loco de *honore & cultu* doceat Auctor, illum in opinione alienæ potentiæ, non ſignis externis; hunc in ſignis externis honoris interni propriè conſiſtere.

At quantum ad *honorem*, conſiſtere illum in opinione propriè, non ſignis externis pro ſuo more dictat, non probat: aliter Ariſt. eum definiens; *externum ſignum* ἐυεργετικῆς δόξης *beneficæ opinionis, ſive quæ de probitate alicujus habetur.* 1. *Rhet.* 5. *&* 4. *Eth.* 3. Apud Ciceronem etiam honorem alicui habere, eſt alicui reverentiam exhibere in virtutis teſtimonium: pro Cœlio; *nemini majores honores habuerunt, quam M. Cœlio.* & de claris Orat. *honos eſt præmium virtutis, judicio ac ſtudio civium delatum ad aliquem.* Apud Virgil. accipitur pro ſacrificiis. *Aut ſupplex aris imponat honores.* Conſentiunt S. Literæ. *Exod.* 20. 12. quod explicans Syracid. inquit *cap.* 3. *v.* 9. *in opere & ſermone & omni patientiâ honor a patrem tuum*; & Apoſt. *Col.* 3. 20.

obe-

obedite parentibus. Adde *Levit.* 19. 32. 1 *Sam.* 2. 30. *Pſ.* 22. 24. & 50. *v.* 15. 23. & 86. *v.* 9. *Prov.* 3. 9. *Rom.* 12. 10. *Act.* 28. 10. 1 *Tim.* 5. 17. *Hebr.* 5. 4. Notum etiam illud vulgatum; *honores mutant mores.* Fatetur tamen honorem etiam ſignificare ſigna & teſtimonia honoris externa, ſed tropicè; *nomen*, inquit, *honor tranſlatum etiam eſt ad effectus illos honoris externos*; *quo ſenſu honorare eum dicimur, de cujus potentiâ teſtamur vel verbis, vel factis nos egregiè ſentire*: fatetur ergo *honorem* ſignificare etiam ſigna externa internę opinionis; quod autem dicit, ſignificationem illam honoris eſſe tropicam, non propriam, dictat rurſus, non probat.

Sed non minoris momenti videtur, quod honorem dicat eſſe opinionem *alienæ potentiæ conjunctæ cum bonitate*: nam honor non reſpicit tantùm potentiam cum bonitate conjunctam; ſed quamvis etiam aliam dignitatem & eminentiam in honorando; ſapien-

tiam quoque, *Prov.* 3. *v.* 16. 35. & 4. *v.* 8. & 8. *v.* 18. virtutem quamlibet, quæ mulierem gratioſam reddit. *Prov.* 11. 16. docilitatem. *Prov.* 13. 18. humilitatem, *ibid.* 15. *v.* 33. & 18. 12. Juſtitiam & beneficentiam. *ibid.* 21. 21. timorem domini, *ibid.* 22. 4. *Pſal.* 15. 4. auctoritatem etiam & dignitatem ratione muneris alicujus publici tum in republ. *Job.* 29. *v.* 8, 9. R*om.* 13. 7. tum in Eccleſiâ. 1 Tim. 5. 17. ætatem, *Lev.* 19. 32. ἐξοχὴν parentum. *Mal.* 1. 6. Atque honor, quem Deo debemus, non tantùm in Deo reſpicit potentiam & bonitatem ejus, ſed ὑπεροχὴν & ſupereminentiam divinæ naturæ, quæ non unum aut alterum, ſed omnia Dei attributa comprehendit. *Pſ.* 86. *v.* 8, - 12. 1 *Tim.* 1. 17. 1 *Tim.* 6. 15, 16. *Apoc.* 4. 11. & 5. 12. Vide ad *art.* 5. Epicurus Apud *Cicer.* 1. *de naturâ Deor. tam eximiam* dicit *eſſe & præſtantem Deorum naturam, ut ea debeat ipſa per ſe ad ſe colendam allicere ſapientem.* Idem liquet etiam ex ἀπο-

θεώσι

θειῶσι Gentilium; quod in numerum Deorum retulerint, atque divino honore & veneratione dignos exiſtimaverint eos, qui non tantùm potentiâ & bonitate, ſed & aliis virtutibus excelluerunt; ut conſtat ex iis, quæ de Deorum genealogiâ tradit *Diod. Sicul. libr.* 5. Quod autem cum potentiâ bonitatem conjungit in honorando neque cohæret cum eo, quod tradit *art.* 5. *Jus regnandi Deo eſſe à ſolâ potentiâ irreſiſtibili*, ut etiam ſuprà ad illum art. monuimus; neque quod alibi docet, honorem non in bonitatis, ſed ſolius poteſtatis opinione conſiſtere; imprimis *Leviath. p.* 1. *cap.* 10. *Parum refert*, inquit, *ubi de honore agitur, an actio ſit juſta ſive injuſta: honor enim conſiſtit ſolum* (N.B.) *in opinione poteſtatis. Quapropter Ethnicorum antiquiores ſe non minuiſſe cenſebant, ſed magis auctum reddidiſſe Deorum honorem, cum in poëmatiis eos inducerent tanquam virginum raptores, furtis, aliiſque magnis, ſed injuſtis & fœdis actionibus operam*

ram dantes; *adeoque invaluit hæc perſuaſio, ut nihil magis in Jove celebratum, quam adulteria, neque in Mercurio, quam fraudes & furta, &c. Inter homines etiam, antequam ampliores reſpubl. conſtituerentur, piraticam aut latrocinia exercuiſſe non putabatur inhoneſtum, ſed potiùs ars legitima. Imo hodiè, atque his mundi partibus duella privata, quamvis illegitima, in honere ſunt & erunt, donec inſtituetur honor recuſantibus, & ignominia in arenam provocantibus.* vide præter dicta, quæ hâc in parte Hobbeſio oppoſuit *Doctiſſ. Sharrock Hypoth. Eth. pag.* 167. *& ſeqq.*

In quo autem *honor ſit, in honorante, an honorato*? Quæſtio parvi momenti eſt; tractavit hanc etiam Ariſt. atque in honorante eſſe judicavit, quoniam & judicium & teſtificatio ab honorante eſt; eandem tractavit etiam *Seneca ad Lucilium, epiſt.* 103. Noſter etiam dicit, eſſe in honorante. *Petrus Martyr, l. com.p.*74. rectè honorem utriuſque & honorantis & honorati bonum eſſe

eſſe judicat; formaliter & ſubjectivè honor eſt in honorante; fundamentaliter, materialiter & terminativè eſt in honorato: quare honor pro bonis eximiis, quæ ſunt in honorando, aliquando ſumitur. *Apoc.* 21. *v.* 24. 26. ſic Pontificatus Chriſti honor vocatur. *Hebr.* 5. 4. eodem ſenſu Deus dicitur honor Iſraëlitarum. P*ſal.* 106. 20. ad hunc modum Baſilius comm. in Pſ. 49. ad illud; *homo cum in honore eſſet*, &c. per honorem intellexit virtutem, in quâ imaginem Dei in homine conſtituebat. Sic ſumitur etiam P*ſal*. 8. 6. pro materiâ & fundamento honoris.

Porro *honorem in opinione ſitum*, dicit, *tres affectus neceſſariò conſequi*; *amorem*, *ſpem*, *& timorem*. At nego, honorem nudam opinionem ſignificare, non etiam affectus ipſos (loquor de honore Dei) erga Deum; *amor* ergo *ſpes* & *timor* honorem Dei non conſequuntur, ſed ipſum conſtituunt: ſunt enim ipſe cultus Dei naturalis, qui
non

non ex honore Dei, ſed ipſâ Dei naturâ immediatè fluit; cultus enim Dei nullus eſt ipſi gratus, qui ex animi affectu non proficiſcitur; imo non honoratur Deus, niſi *amore*, *ſpe* & *timore*. Non ergò accuratè dictum; *amorem*, *ſpem* & *timorem* eſſe affectus, qui conſequuntur ad honorem: dicendum potius; *amore*, *fide*, *ſpe* & *timore* Deum honorari. vide inter alia R*om.* 4. 20. quamvis non negem, illa agnitionem bonitatis, potentiæ, juſtitiæ &c. in Deo ſupponere.

Quantum ad *amorem*, dicit, *illum ad bonitatem*; ſicut *ſpem & timorem ad potentiam referri*; reſpicit quidem *amor* præcipuè bonitatem in amando; ſed non ſolam: nam quamvis hoc fortè verum ſit de amore (loquor de amore Dei) unionis & complacentiæ; non tamen benevolentiæ, ut quæ ad gloriam Dei potiſſimùm refertur. Sic *ſpes* & *fiducia* non tantùm potentiam Dei, ſed & veritatem, miſericordiam, juſtitiam, &c. reſpiciunt; & ſi-

hoc, militer

militer *timor* non tantùm reſpicit potentiam Dei; ſed ſi filialis ſit etiam bonitatem & miſericordiam ejus. *Pſ.* 103. *v.* 4. Nam ut rectè Plutarchus; *qui divos colunt metu alicujus mali, perinde faciunt, ut ii, qui tyrannos venerantur, ne noceant, quos oderunt animo.* quin addo, perinde illos facere, ac illi inter Gentiles, qui Diabolo ipſi, ut minus noceat, religionem exhibent; ut de Braſilienſibus teſtatur *Roſſ. in Panſeb. ſect.* 3. ut etiam olim inter Romanos illi, qui etiam ipſas Eumenidas, ut minus plecterent, colebant. Imo timor ſervilis contemplatur in Deo præter potentiam etiam ejus juſtitiam. Quod verò dicit, *actionibus externis amoris, ſpei & timoris potentes placari, & propitios fieri*; ſi etiam de Deo intellectum vult, falſum eſt: notum enim Chriſtianis eſt, non placari Deum, niſi unico Chriſti Mediatoris ſacrificio. *Rom.* 3. Atque ſacrificia ab Ethnicis in deprecationibus ſuis adhibita etiam argumento ſunt, exiſti-
maſſe

Digitized by Google

maſſe illos, ſine ullâ ſatiſſactione ſolis precibus, non poſſe placari Numen; quo facit illud Apoſt. R*om.* 1. 32.

Quantum jam denique ad *cultum*, illum definit (ut diximus) quod ſit *actus externus honoris interni ſignum*; & in eo ab *honore* diſtingui arbitratur. Sed hoc ſi verum eſt, Deum colere nihil aliud eſſet, quam actus honoris externos ei exhibere; & verè Deum colere dicendus eſſet, qui ſignis tantùm externis honoris hoc faceret, quamvis non honorare; at cultum talem paſſim deteſtatur Deus. *Pſ.* 50. *Eſ.* 1. & 29. *ſacrificium Dei*, inquit Pſaltes, *eſt cor fractum & contritum*, *Pſal.* 51. *v.* 19. ſicut ergo *honor* mente, ore & opere conſiſtit, ſimiliter *cultus*; & ſicut honor non eſt honor, ſi internus animi affectus abſit; ita, ſi idem abſit in cultu, cultus ille non eſt cultus, ſed hypocriſis. Unde Deus mente colendus dicitur etiam à profanis gentibus; ſic Cato in diſt.

Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè ſit purâ mente colendus.

Vide *Joh.* 4. *v.* 24. & Senecæ *optimus animus pulcherrimus Dei cultus.* Cicer. l. 2. de naturâ Deor. *Cultus Deorum optimus eſt, idemque caſtiſſimus, & ſanctiſſimus pleniſſimuſque pietatis, ut eos ſemper purâ, integrâ, incorruptâ mente & voce veneremur.* Similiter Tibull. *Eleg.* 1. *l.* 2.

Caſta placent ſuperis; purâ cum mente venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Fide, ſpe, charitate, timore, fiduciâ, &c. maximè colitur Deus: eſt enim cultus Dei naturalis; neque tamen cultus hic conſiſtit in actibus externis honoris interni ſignis; Deus in cultu ſuo cor requirit, *Deut.* 6. 5. & 10. 12. & 11. 13. & 26. 16. & 28. 47. *Jeſ.* 22. 5. 1 *Sam.* 12. 20, 24. 1 *Chron.* 28. 9. *Prov.* 23. *Jeſ.* 4. 23, 24. coli vult corpore & animo. 1 *Cor.* 6. 20. cum purâ con-

conſcientiâ, *Act.* 23. 1. & 24. 14, 15, 16. 2 *Tim.* 1. 3. Notiſſima etiam diſtinctio cultus Divini in internum & externum, quorum licet hic ab illo poſſit diſtingui, ſeparari tamen non debet. Adde *Hebr.* 11.6. 1 *Tim.* 4.8.

ART. X.

Cultus in quibus conſiſtat?

CUm art. præced. cultum in ſignis animi externis dixerit conſiſtere;
„ jam hoc art. cultum omnem docet
„ *verbis* & *factis* conſtare, atque
„ utrumque ad tria genera referri;
„ *laudem*, μεγάλυνσιν & μακαρισ-
„ μὸν; illam eſſe *prædicationem boni-*
„ *tatis*, iſtam *potentiæ*, hanc *felicita-*
„ *tis*: atque hæc fieri verbis *dogma-*
„ *ticè per attributa*; ut cum dicimus
„ *fortem*, *liberalem*, *ſapientem*; factis
„ per *hypotheſin*; ut. 1. *gratiarum actio-*
„ *ne*, quæ *bonitatem*. 2. *obedientiâ*, quæ
„ *potentiam*. 3. *congratulatione*, quæ
„ *feli-*

„*felicitatem* ſupponit. Verùm 1. cultum etiam mente, hoc eſt, cogitationibus & affectibus conſiſtere præced. art. demonſtratum eſt. Quantum ad *cultum externum*, fatemur illum *verbis* & *factis* conſtare; atque utriſque Deum eſſe *laudandum*, *magnificandum*, atque *beatum prædicandum*: verùm non ſunt illa *tria genera cultus* externi; ſed voces tantùm diſtinctæ unum idemque ferè ſignificantes, atque promiſcuè in S. Literis & alibi uſurpatæ: ſic *Gen.* 49. 8. (*Juda te, te inquam, laudabunt fratres tui, manus tua imponetur cervici hoſtium tuorum: incurvabunt ſe tibi filii patris tui.*) *laudare* eſt *magnificare*, ſeu alium ſe ſuperiorem prædicare. Et *Jeſ.* 60. 18. prædicationem felicitatis notat *prædicare in portis laudem*; & ſimiliter in illo Terentiano (*tum ore tuo omnes bona dicere, & laudare fortunas meas*) laudare fortunas meas nihil aliud eſt, quàm beatum me prædicare. Neque fiunt hæc tantùm verbis & factis; ſed &

& ſyncerâ agnitione, & mentis affe-ctibus; *laus Pſal.* 71. 23. & 9. 2. & 103. μεγάλυνσις. *Luc.* 1. 46. atque haud dubiè etiam μακαρισμὸς; imprimis cum ad Deum refertur. Angeli ſancti, & animæ beatorum Deum laudant, magnificant & beatum prædicant; at non verbis, nec factis tantùm; ſed præcipuè etiam cogitationibus, & mentis affectibus: & *Pſal.* 56. 5, 11. *laudare in Deo verbum ejus*, quid aliud notat, quàm certâ animi fiduciâ expectare complementum promiſſionum Dei? nec *laus* tantùm ad bonitatem colendi; *magnificare* ad potentiam refertur; nec *felicitas* v. gr. Dei eſt *potentia ejus in futurum ſecura*: *laus* enim nihil aliud eſt, quam honor, qui Oratione fit, ſive (ut loquitur *Ariſt.* 1. *Rhet.* 9.) *Oratio oſtendens magnitudinem virtutis*; at honor judicio noſtri Auctoris non ad bonitatem ſolam, ſed potentiam cum bonitate conjunctam refertur. *art. præced.* Neque judicio noſtro ad illas ſolas, ſed

quas-

quaſlibet etiam alias virtutes: hinc qui quâlibet virtute præſtat, laude dignus vulgò dicitur; ſicut è contrà ἀπαίνετος illaudatus, qui nullâ virtute præditus eſt: quomodò Agamemnon Rex dicitur ab Achille apud *Homer. iliad. A.* & Buſyris à Virgilio. Sic *laus* refertur ad timorem Dei. *Prov.* 31. 30. ad fidem. *Rom.* 1. 8. Et ſicut v. gr. Deus magnus eſt non tantùm ratione potentiæ, verùm & ſapientiæ, gloriæ, bonitatis, miſericordiæ, juſtitię, &c. Sic etiam ratione omnium horum attributorum magnificandus & exaltandus eſt. *Pſal.* 34. 40. & præcipuè *Pſal.* 145. *per totum.* Non ergò *magnificare eſt prædicatio tantùm potentiæ præſentis.* Et eâdem operâ prædicatur Dei ipſius felicitas. Neque *felicitas* eſt, ut dixi, propriè *potentia in futurum ſecura*; ſed *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*; *Boëth. libr.* 3. *de Conſ. Philoſ.* vide *Ariſt. l.* 1. *magn. mor. cap.* 2. Neque etiam ratione ejus, quod futurum eſt, nemo bea-

beatus dici poteſt; ſed felicitas vera in bonorum præſentium κτήσει καὶ χρήσει conſiſtit. Non etiam *verbis laudatur & celebratur* Deus, quando ſolùm *dogmaticè & enuntiativè dicimus*, Deum *eſſe liberalem*, *fortem*, *ſapientem*, &c. Nam alioqui etiam hypocritæ Deum honorare & laudare dicendi forent, cùm Deum talem eſſe pronuntiant; quamvis ſyncerè Deum & ex animo talem eſſe non agnoſcant. *Jeſ.* 29. 13. Neque attributa tantùm nominibus conſiſtunt, ſed & mentis conceptibus; v. gr. attributa Dei etiam ab Angelis & animis beatis Deo tribuuntur; non tamen nominibus vel verbis: imò verba & nomina attributa dici nequeunt, niſi quatenus ſunt cogitationum ſeu conceptuum indicia. Neque per attributa ſive nomina laudatur & celebratur Deus, niſi id ex ſyncero animi affectu, fide, ſpe, charitate, & timore Dei, fiat. Interim rectè docet, non tantùm verbis, ſed etiam factis honorari, laudari, coli

&

& glorificari Deum. vide *Joh.* 15. 8. *Matth.* 5. 16. 1 *Cor.* 10. 31. *Phil.* 1. 11. *Col.* 3. 17. Sed id fit *obedientiâ* ſolâ, ſeu bonis operibus: nam *gratiarum actio* ad Deum relata non eſt per ſe *genus cultus externi*, *qui factis conſtat*, *ab obedientiâ diſtinctum*; ut nec *congratulatio*: at ipſa obedientia & bona opera ſunt gratiarum actio, quando Deo præſtantur intuitu beneficiorum, quæ divinâ ſuâ bonitate & potentiâ in nos contulit. Neque *gratiarum actio*, *obedientia*, & *congratulatio* tantum fiunt factis externis; ſed & præcipuè etiam internis animi cogitationibus & affectibus, atque etiam verbis. *Obedientia* autem an & quomodo potentiam ſupponat, diximus ad *art.* 5. & 7.

A R T. XI.

An & quo ſenſu cultus alius ſit naturalis, alius arbitrarius?

JAm quotuplicem eſſe cultum dicat, videamus; & quidem primò il-

lum in *naturalem* & *arbitrarium* partitur. Diſtinctionem cultus in *naturalem* & *arbitrarium*, quem *inſtitutum* vocant, agnoſcunt Theologi; at illum docent eſſe, qui fluit ex naturâ ejus, qui colitur; hunc, qui pendet ex liberrimâ ejuſdem inſtitutione: innuitur *Exod.* 20. 6. *qui diligunt me, & obſervant præcepta mea.* Alio autem ſenſu diſtinctio hæc cultus ab Auctore recipitur: *naturalem* dicit eſſe, *qui apud omnes & ſemper honorificus eſt*, in fine artic. At hoc relatum ad cultum Dei naturalem falſiſſimum eſt: nam multa pertinent ad cultum Dei naturalem, quæ tamen apud omnes non ſunt honorifica; qualia inter attributa Dei ſunt, 1. Eſſentialis præſentia in omnibus rebus atque extra mundum, quam Deo honorificam eſſe negant Sociniani, Vorſtius, Remonſtrantes, *Apolog. fol.* 43. 2. Futurorum contingentium præſcientia & præordinatio certa, quâ tamen Sociniani, Remonſtr. & alii liberum hominis

minis arbitrium everti clamant, & fatum Stoïcum introduci: quin Ipſe agnoſcit, dari homines, qui Deum eſſe non credunt, aut hæc inferiora curare, quod poſterius Deo honorificum eſſe palam negat, & diſputat Epic. apud *Cicer. de nat. Deor.* Quo tendit etiam illud Poëtæ; *Non vacat exiguis rebus adeſſe Jovi.* Non tamen eò minùs exiſtentiam Dei credere, atque hæc inferiora omnia ipſius providentiâ regi, ad cultum Dei naturalem pertinet. Atque inter actiones, *per nomen Dei jurare* negant Deo honorificum eſſe Anabaptiſtæ; ipſe tamen illud ad cultum Dei naturalem pertinere docet *art.* 15.

Cultum arbitrarium vocat, *qui loca & mores hominum ſequitur*; unde cultus Dei arbitrarius foret, non qui ab arbitrio Dei pendet, ſed hominum; at omnis cultus, qui ab ipſo auctore Deo non proficiſcitur, damnatur [*Col.* 2. 23. *Eſ.* 29. 13. *Matth.* 15. 9. & juxta *Rom.* 14. 23. *quod ex fide non eſt peccatum eſt.*

Urget tamen; *ſive autem*, inquit, *verbis, ſive factis aliquem celebrare velimus, inveniemus alia, quæ honorem apud omnes ſignificant, qualia ſunt inter attributa nomina virtutum & potentiarum generalia, quæ in malam partem accipi non poſſunt; ut bonus, pulcher, fortis, juſtus & ſimilia. Inter actiones autem obedientia, gratiarum actio, preces &c. Alia, quæ honorem apud quoſdam ſignificant, apud alios verò contumeliam, vel neutrum. Qualia ſunt in attributis nomina, quæ ad virtutes vel vitia &c. pro diverſitate opinionum diverſè referuntur &c. In factis, ea quæ dependent à conſuetudine loci, vel præſcriptis legum civilium; ut &c.* Reſp. nomina dari virtutum & potentiarum generalia, quæ in malam partem accipi non poſſunt, falſum eſt; quid enim ſodes fingi poteſt tam bonum, quod in ſequiorem partem accipi non poteſt: de *bono* liquet in illo Terent. *heus bone vir, curaſti probè*; & phraſis illa in S. Scripturâ uſitata; *facere quod bonum eſt in oculis ſuis*,

ſuis, ſæpe in malam partem, aut nec bonam nec malam uſurpatur, *Gen.* 16. 6. & 19. 8. & 34. 18. *Deuter.* 12. 8. *Jud.* 19. 24. & 21. 25. & alibi. De *pulchro* quoque: non enim in bonam partem ſumitur in illo vulgato Cicer. *ſuum cuique pulchrum*; neque *Prov.* 11. 22. *velut monile aureum ad roſtrum porci, eſt mulier pulchra & averſans rationem.* Similiter *fortis*, *Amoſ.* 5. 9. *Jeſ.* 1. 31. & 5. 22. *juſtus*, *Eccleſ.* 7. 16. *ne eſto juſtus nimium. Matth.* 9. 13. adde *Jeſ.* 5. 20. Ipſe etiam talem ſtatuit eſſe hominis naturam, *ut diverſitate affectuum contingat, ut quod alter bonum, alter malum: & idem homo quod nunc bonum, mox malum; & eandem rem in ſeipſo bonam, in alio malam vocet; & omnes bonum & malum delectatione & moleſtiâ noſtrâ æſtimemus. art.* 17. *cap.* 14. Hæc autem ſi ita ſe habeant, quæ obſecro erunt nomina virtutum & potentiarum generalia, quæ in malam partem accipi non poſſent? Similiter non ſemper actionibus ex-

ternis; *obedientiâ*, *gratiarum actione*, *precibus* &c. agnitio potentiæ & virtutis ſubintelligitur; ut liquet in hypocritis. *Jeſ.* 29. Unde colligo malè cultum naturalem arceſſi à nominibus virtutum & potentiarum, quæ in malam partem accipi non poſſunt; vel etiam actionibus illis externis, quibus agnitio potentiæ & virtutis ſemper ſubintelligitur. Dicet; Nomina hæc, *fortis*, *bonus*, *pulcher*, *juſtus* &c. nomina eſſe virtutum & potentiarum generalia; atque ut ſic in malam partem accipi non poſſe: ſecus ſe rem habere, cum quæritur; quid *bonum*, *pulchrum* &c. appellandum ſit. Reſp. Quamvis hoc verum eſſet, nihil tamen facit ad cultum naturalem definiendum: honor enim, ſeu cultus dictis nominibus ſeu verbis non continetur, quatenus ſunt nomina virtutum & potentiarum generalia; ſed quatenus perfectiones quædam, quæ iſtis nominibus definitè ſignificantur, ſyncerè & debito animi affectu in colendo ſeu honorando

revera

revera ineſſe agnoſcuntur; hoc autem fieri nequit ſub iſtis nominibus, niſi quatenus iis, quid *bonum*, *pulchrum*, *forte*, *juſtum* &c. definitè dicendum ſit, intelligatur. confer *art.* 17. *cap.* 14.

Nec meliùs cultum arbitrarium definit per ea, *quæ bonorem apud quoſdam tantùm ſignificant; ut in attributis nomina, quæ ad virtutes & vitia, honeſta vel inhoneſta, pro diverſitate opinionum diverſè referuntur; in factis, ea quæ dependent à conſuetudine loci, vel præſcriptis legum civilium*: Nam 1. multa honorem & virtutem apud quoſdam ſignificant, quæ tamen recta ratio docet, nihil minus eſſe; quale eſt inter alia, *occidere inimicum Matth.* 5. 43, 44. *Exod.* 23. 4, 5. Alia contemtui habentur, quæ reverà in ſe bona ſunt & honorifica; ut *virtute excellere*, *eſſe Philoſophum* & *Oratorem*, & ſimilia. Neque 2. ad cultum arbitrarium rectè referuntur illa ſive attributa ſive actiones, quæ variant pro diverſitate opinionum & locorũ: nam inter attributa

nomina illa, quæ ad virtutes referuntur, reverâ ad cultum naturalem ſpectant: quia conſentanea ſunt dignitati ejus, qui colendus eſt; quamvis perperã aliis contemptui ſint; & ſimiliter actiones illæ externę omnes, quæ ſigna honoris ſunt iſtic loci, ubi frequentantur, & ſuâ naturâ non ſunt malæ, ad cultum naturalem pertinent; quamvis aliis locis talia non ſint: quia recta ratio docet, actiones tales externas & ceremonias illic pro ratione loci exhibendas eſſe illi, quem honore dignum judicamus.

ART. XII.

De Cultu juſſo & ſpontaneo; publico & privato.

DEinde *hoc art.* cultum diſtinguit in *juſſum* & *ſpontaneum*; de illo ſic Philoſophatur; *cultus*, inquit, *eſſe poteſt imperatus, ſc. juſſu ejus qui colitur.* At Dei cultus omnis non tantùm eſſe poteſt; ſed debet imperatus, idque ſolius

ſolius Dei juſſu, qui colendus eſt; *ſpontaneus* autem omnis, *qui talis ſit, qualis videbitur colenti*, ἐθελοθρησκεία illa eſt, quæ ab Apoſt. damnatur *Col.* 2. 23. & D. N. J. Chriſto, *Matth.* 15. *v.* 9. damnant etiam Philoſophi gentiles; unde Plato in Eutyphrone docet, *religionem divinæ voluntatis imperio definiri*; & in legibus 12. tabularum habetur: *Nemo privatim habeßit Deos.* Jamblichus dicit, *conſtat facienda eſſe, quæ Deo grata ſunt*; at quænam illa? *profectò*, inquit, *non poßunt illa cognoſci, niſi ab eo, qui Deum ipſum audiverit, aut arte aliquâ divinâ fuerit edoctus.* Conſonat Alpharabius Arabs his verbis; *Res*, inquit, *Divinæ & piâ fide credibiles altiorem, quam cæteræ, gradum obtinent, quia ab inſpiratione Divinâ procedunt, & quia debilior mens hominis, & tenuior ratio, quam ut ad illas attingere poßit.* libr. de ſcientiis. Et Cicero, cum nullam ait apud homines legem eſſe, cui parere teneamur, niſi à Deo inſtitutam, atque ex ejus ore profectam.

1. *de legibus*; ſi de religionis lege interrogatus fuiſſet, proculdubio non aliter reſpondiſſet. Rationem reddit Apoſt. *ad Rom.* 14. *quicquid* (in religionis negotio) *non eſt ex fide peccatum eſt.* Quàm etiam hâc in parte cœcutiat mens humana, & quàm in fingendis religionibus proclivis ſit ad ſuperſtitionem, docet tum experientia in religionibus gentilium; tum S. Apoſt. *ad Rom.* 1. 1 *Cor.* 2. 14. etiam abſque contumeliâ in Deum hoc fieri nequit: ridiculus ruſticus, ſi, quis principi cultus debeatur, quis honos, aſſignare velit. Quis itaque non intelligat cultum nullum Deo placere poſſe ſpontaneum, qui talis eſt, qualis videbitur non Deo colendo, ſed homini colenti; ſive is princeps ſit, vel quilibet alius: *Actiones* enim nullæ, qualeſcunque illæ ſint, *ſignificant honorem* Deo debitum *quà tales*, ſed *quà imperata*, vel lege aliquâ naturali, ut in cultu naturali; vel ſaltem lege aliquâ divinâ poſitivâ, ut in cultu in-

inſtituto; nam *cultus Dei omnis obedientia erga Deum rationem habet*; talis autem eſſe nequit, niſi ratione præcepti alicujus divini. Quod ſi ergo omnis Dei cultus ab ipſo imperatus eſſe debeat, atque in obedientiâ conſiſtat; ſequitur, cultum Dei ſpontaneum cultum Dei eſſe non poſſe; ſed eſſe nihil aliud, quam ſuperſtitionem, & veræ religionis corruptelam. Unde inter notas veræ religionis meritò & hæc non poſtrema eſſe cenſetur, ut cultum contineat non ab hominibus, ſed ſolo Deo inſtitutum. vide *Pleſſaeum de verit. relig. Chriſt. cap.* 20. At, inquit, *cultus ſpontaneus ſolâ naturâ actionum eſt honorificus, quaſi honoris ſignificativæ ſunt apud ſpectantes, cultus; aliter contumelia eſt.* Sed nulla actio externa ut per ſe eſt, & ſolâ ſuâ naturâ bona, ſic nec Deo honorifica: *omnis* enim *actio per ſe eſt adiaphora, & quod actio aliqua juſta vel injuſta ſit, à jure imperantis provenit*; ſic ipſe *art.* 1. *cap.* 12. Eodem modo, quod Deo ſit vel honorifica, vel con-

tumelioſa. Neque conſiſtunt hæc, *actionem aliquam ſolâ ſuâ naturâ eſſe honorificam*; & tamen eandem actionem *eſſe* poſſe *vel cultum, vel contumeliam*; *prout actio illa honoris ſignificativa eſt, aut non eſt apud ſpectantes*: circumſtantia enim perſonarum efficere nequit, ut actio aliqua ſuâ naturâ honorifica, hoc eſt, cultus, fiat contumelia: neque etiam *an actio aliqua Deo ſit honorifica, definiendum eſt ex opinione ſpectantium*; ſed ex ipſâ naturâ & lege divinâ: ſi enim illæ actiones cultus forent v. gr. apud Deum, quæ honoris ſignificativæ ſunt apud ſpectantes, contumelia contra Deum nunquam committi poſſet actione ullâ cultus, quæ ſpectantibus probatur; & qui in cultu externo rationem ſpectantium non haberet, ſemper contumelioſus eſſet contra Deum, etiam in cultu à Deo præcepto, ſed à ſpectantibus non probato.

Diſtinguit denique *cultum* in *publicum* & *privatum*; quod diſcrimen & nos

nos admittimus. Quod verò dicit, *cultum publicum & privatum eſſe poſſe ſpontaneum*, id falſum eſſe ex ſupradictis liquet: & *cultus publicus* non magis eſſe poteſt *ſpontaneus reſpectu Civitatis*; quam ſingulorum. *Matth.* 15. 9. *Col.* 2. 23. Non tamen negamus, quis cultus publicè obtinere debeat, à Civitate eſſe definiendum: neç obtinere debet niſi verus, & ab ipſo Deo inſtitutus; quis autem ille ſit in regno Dei naturali (uti vocat) ubi verbi Divini copia non datur ex dictamine rationis naturalis definiri debet, ut uniformitas cultus publici in Civitate exiſtat: at hâc in parte quàm cœcutiat mens humana ſibi relicta, tum (ut ſuprà monuimus) Apoſt. luculenter docet ad *Rom.* 1. 1 *Cor.* 2. 14. tum experientia abundè teſtatur in religionibus gentilium. Quod autem in fine art. inquit, *cultum privatum ſpontaneum eſſe poſſe, ſi exhibeatur ſecretò*, ejuſdem farinæ eſt cum præcedentibus; & quod addit: *quod enim palam* *fit*

ſit vel legibus, vel verecundiâ coërcitum eſt, quod naturæ ſpontanei adverſatur; non uno modo falſum eſt: quaſi ſc. quod clam ſit & ſecretò nullis aut legibus, aut verecundiâ eſſet coërcitum. *Pſal.* 94.7. *Eſai.* 29.15. aut quod legibus & verecundiâ coërcetur non poſſet eſſe ſpontaneum. *Spontaneum* τὸ ἑκούσιον *invito* τῷ ἀκουσίῳ (quod vel per *vim* eſt, vel *ignorantiam*) non autem obligationi, quæ eſt à legibus, aut verecundiâ opponitur. *Ariſt.* 3. *Eth. cap.* 1.

A R T. XII.

De Cultus fine & ſcopo.

FInis, inquit, *ejus, qui ſe coli vel jubet, vel patitur, is eſt, ut quàm plurimos eo modo ſibi vel amore vel metu obedientes reddat.* Atqui & Deus ſe coli jubet ab hominibus; ſcopus autem & finis primarius Dei ſeſe coli jubentis, alius eſſe non poteſt, quam ipſe Deus; *finis ſc. cui. Prov.* 16. 4. *Rom.* 11. 36.

Quis

Digitized by Google

Quis autem ſit *finis cujus* gratiâ Deus ſe ab hominibus coli velit, ex ipſâ Dei naturâ cognoſcendum eſt: cultus enim Dei debet in ſe continere bonum aliquod Dei; intrinſecum autem bonum nullum Deo adjici poteſt. *Pſal.* 16. 2. *Job.* 22. 2, 3. bonum autem extrinſecum aliud hîc excogitari nequit præter gloriam Dei, quæ in humili agnitione eminentiæ maj. divinæ conſiſtit, 1 *Petr.* 2. 9. quare relinquitur, cultus Divini ſcopum & finem primarium eſſe gloriam Dei; ſive potius cultus & honor divinæ majeſt. eſt ipſe finis ultimus, quò omnia ultimò referri debent ab hominibus: ipſe autem honor & cultus immediatè tendit in ipſum Deum tanquam *finem cui*. Quis autem finis aut ſcopus ſit hominum ſeſe coli jubentium aut patientium, qui cultu ſæpe gaudent plus quàm par eſt, aut non debito modo & fine, inquirere hic parùm refert: ex dictis conſtat, quem eſſe oporteat ſcopum & finem ſe coli volentium; is ſi ſit, *ut*

quam-

quamplurimos eo modo ſibi amore vel metu obedientes reddant; atque ibi hæreant, nec ad honorem, gloriam & cultum Divinæ Majeſt. ultimò referant, à vero fine & ſcopo cultûs & honoris ſui aberrant. 1 *Cor.* 10. 31. *Gal.* 5. 26. *Phil.* 2. 3, 4, 21. Conſentiunt Philoſophi Gentiles; Ariſt. dum *Deum principium, medium, & finem omnium* eſſe docet. 1: *de mundo.* & in *Ethicis.* Hierocles adverſus Atheos; *religionem omnium virtutum* ἡγεμόνον *ducem ſive principem* eſſe ait; nimirùm quòd virtutes omnes, atque omnes hominum actiones à religione imperari; atque in honorem & gloriam Dei, tanquam in ſcopum ſuum ultimò dirigi debeant. & Jamblichus; *quicquid faciendum, aut non faciendum tibi proponis, ad divinitatem referri debet.* Plotinus ait; *Supremus hominis finis, merum bonum, id eſt, Deus. Cætera verò ad finem pertinent, finis non ſunt.* Egregia ſunt illa Epicteti; *Si quid mente valemus, quid nobis agendum, niſi ut Deum aßiduè celebremus*;

bremus; ei hymnos, & gratiarum actiones canamus? ſeu laboramus, ſeu quieſcimus. Et rurſum; *ſi luſcinia eſſem, facerem quod luſcinia; cùm autem homo rationalis natus ſim, quid faciam? laudabo Deum, nec ceſſabo unquam.* Plura vide apud *Pleſſæum de verit. relig. Chriſt. cap.* 19. 20. Neque hic finis etiam eſt ultimus & primarius Dei ſeſe coli jubentis; ſed tantùm ſecundarius, & per accidens, poſitâ ſc. creaturarum rationalium multitudine: hic enim ſi finis eſſet unicus & primarius cultûs divini; quis finis eſſe poſſet Dei jubentis ſe coli, aut qui ſeſe coli poſſet jubere, ſi in rerum naturâ unicus tantùm homo exiſteret? ille tamen nihilominus Deum colere teneretur. Quæ autem hic de gaudio & gloriâ præmittit; *eſſe* ſc. *illa nihil aliud, quam triumphum animi putantis ſe honorari &c. hoc eſt, ſervitia & auxilia hominum præſto habere*, talia ſunt, ut de Deo, ſalvo ipſius honore & gloriâ, intelligi nequeant. Et *gloriam eſſe triumphum ani-*

ni

mi putantis. ſeſe honorari pro ſuâ authoritate hîc rurſus dictat: aliter Cicero *Tuſc. q. l. 3. Gloria eſt conſentiens laus bonorum, de excellente virtute benè judicantium.* Et ſi hoc ſignificat gloria; quid tum ſibi volunt hæ phraſes: *dare Deo gloriam. Joh. 9. 24. omnia ad Dei gloriam facere. 1 Cor. 10. 31.* & quod inquit *Cic. pro Planc. Is gloriâ maximè excellit, qui virtute plurimùm præſtat?* & Seneca *libr. 3. epiſt. Gloriam,* ait, *multorum judiciis conſtare.* Gloria igitur propriè loquendo non eſt in honorato ſed honorante; ſicut ipſe antea de honore confeſſus eſt art. 9. at triumphus animi putantis ſe honorari non eſt in honorante ſed honorato; gloria ergo non eſt triumphus animi putantis ſe honorari.

ART. XIV.

De Legibus naturæ circa Dei attributa.

HActenus de *honore* & *cultu* in genere; cultum dixit in *verbis* & *factis*

factis conſiſtere; verbis fieri per *attributa*. In ſeqq. in ſpecie acturus de cultu Divinæ Majeſt. diſſerit primò, de attributis Dei *hoc art.* de actionibus, quibus cultus exhibetur naturaliter *art. ſeq.* Quantum ad Dei attributa, *ut ſciamus*, inquit, *quem cultum Dei aſſignet ratio naturalis, incipiamus ab attributis; ubi imprimis manifeſtum eſt, attribuendam ei eſſe exiſtentiam.* Attribuendam eſſe Deo exiſtentiam, tam manifeſtum eſſe putamus, ut *nulla natio, aut gens ſit tam immanſueta, atque tam Barbara, quæ non, etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat*, ſunt verba Cic. Notitia enim illa tum omnium hominum animis & conſcientiis eſt innata. Rom. 1. 19. & 2. 14, 15. tum ex contemplatione rerum viſibilium in cœlo & terrâ omnium animis ultrò ſeſe inſinuat. Rom. 1. 20. Act. 14, 17. & 17. 27, 28. Pſal. 19. 2. Noſter autem Philoſophus, cum manifeſtum eſſe dicat, Deo attribuendam eſſe exiſtentiā, debebat

nos docere, unde hoc ipſe manifeſtum putet: præſertim cùm id nec hîc, nec alibi (quod ſciam) ex profeſſo docuerit (excepto, quod *art.* 1. *cap.* 16. doceat, *habere hoc humanum genus ab imbecillitatis propriæ conſcientiâ, & admiratione eventuũm naturalium, ut non omnes, ſed plerique; non certò perſuaſum habeant, ſed credant eſſe omnium rerum viſibilium opificem inviſibilem Deum.*) & eſſe contendat homines, qui vel Deum non exiſtere, vel mundum non gubernare, arbitrantur; imò quod magis eſt, *etiamſi ab aliquibus Deum eſſe lumine naturæ ſciri poſſit; tamen homines in voluptatibus, vel divitiis, vel honoribus perquirendis continuò occupatos; item homines, qui rectè ratiocinari non ſolent, vel non valent, vel non curant; denique inſipientes, in quo numero Athei ſunt, ſcire id* (N.B.) *non poſſe. annot. ad art.* 19. *cap.* 14. 2. Legem naturalem eſſe, Deo attribuendam eſſe exiſtentiam, benè eſt, quod hîc agnoſcat: unde miror, cur art. cit. ſcri-

pſerit,

pſerit, *quod legem aliquam, juxta quam Atheos condemnare injuſtitiæ poſſet, & diligentiſſimè quæſiverit, & vehementer cupiverit, ſed nullam ſe invenire potuiſſe*: hîc verò legem illam naturalem, quam tantoperè quæſivit, ultrò & nullo labore nobis expedivit: ſic enim loquitur in margine ad hunc art. *quænam ſint leges naturales circa Dei attributa*; & in ipſo art. *ubi imprimis manifeſtum eſt, attribuendam eſſe Deo exiſtentiam.* Nec 3. exiſtentia rectè inter attributa Dei numeratur: ſicut enim non entis nullæ ſunt affectiones; ſic affectiones & attributa rem eſſe, ſeu rei exiſtentiam præſupponunt; attributa enim Dei, quæ propriè talia dicuntur, inſunt Deo quaſi in eſſe ſecundo; quia non ſunt de formali ratione eſſentiæ Divinæ: concipimus enim Deum eſſe, antequam concipere poſſumus, eum eſſe juſtum, bonum &c. exiſtentia ergo cum ad primum Dei eſſe ſpectet, priùs quicquam nihil habet, cui attribuatur

per

Digitized by Google

per modum perfectionis. *Ameſ. Medul, libr. 1. cap. 4.*

Rectius autem inter attributa numerantur, quæ *magnitudinem*, & *potentiam* ſignificant; ſic *Deus infinitus eſſe* rectè dicitur, quatenus omnis eſſentiæ limitationis eſt expers; unde *nulla Deo tribuenda eſt figura*: non tantùm quia omnis figura finita eſt; ſed etiam quia materiam, & materiæ dimenſionem ſupponit; Deus autem, quia infinitus eſt, etiam eſt immenſus, hoc eſt, omnis materiæ dimenſionis expers. Et Deus licet *concipiatur* à nobis noſtro more & modo; non tamen *comprehendi imaginatione, vel quâcunque facultate animæ noſtræ*, verum eſt: quia quicquid comprehendimus finitum eſt; quia intellectus noſtri vis & vigor finitus eſt; non tamen verum eſt; *quicquid concipimus finitum eſt*: ſi enim rei infinitę conceptus non eſſet in nobis, nec in nobis eſſet conceptus Dei, quod eſt contra hypotheſin: quomodo enim de Deo diſſerere poſſemus, niſi con-

ceptum

ceptum ejus habeamus; dictio enim omnis eſt vox articulata animi conceptus ex inſtituto ſignificans. Fatetur ergo, *vocem hanc* (*infinitum*) *ſignificare conceptum animi*; *ſed negat*, *inde ſequi conceptum nobis aliquem ineſſe rei infinita*: quod tantumdem eſt, ac ſi diceret; vox *infinitum* ſignificat conceptum in nobis rei infinitę, nullus tamen ineſt nobis conceptus rei infinitæ, quod abſurdum eſt: niſi enim conceptus rei infinitæ nobis ineſſet, vox *infinitum* eum ſignificare non poſſet. Sed negat, *quando aliquid infinitum dicimus*, *nos aliquid in re ſignificare*, *ſed impotentiam in animo noſtro*. At hoc ſi verum eſt, quando Deum dicimus infinitum, eo non attribueremus Deo aliquam perfectionem, ſed potius animo noſtro imperfectionem; quare *infinitas* non eſſet attributum Dei, ſed animi noſtri; ſed hoc eſt contra hypotheſin: ſupponimus enim, *infinitatem* eſſe attributum Dei. Sed quæro, an putet terminos aut limites eſſe eſſentiæ Di-
vinæ;

vinæ; nec ne? ſed terminos aut limites eſſe naturæ Divinæ videtur ſubinnuere, ſed eos à nobis non poſſe aſſignari, aut ſaltem ſe neſcire, ubi inquit; *quando dicimus, aliquid eſſe infinitum, non aliquid in re ſignificamus, ſed impotentiã in animo noſtro, tanquam ſi* (N.B.) *diceremus, neſcire nos, an & ubi terminetur.* At dico ego, ſciri poſſe, & demonſtrari etiam ratione naturali, non terminari eſſentiam Divinam. vide inter alios *Suarez. metaph. l. 2. diſp. 30. ſect. 2.* & ſi id apertè negaſſet, nos id apertè demonſtraſſemus. Sed demonſtrat ipſe hoc modo; *finito omni majus ſemper aſſignari & attribui facillimè poteſt; Deo autem majùs concipi non poteſt: ſequitur ergo, Deum nullos habere eſſentiæ & perfectionis terminos.* Optimè. At ſimili argumento Carteſius demonſtrat, mundum eſſe indefinitum *Princ. Philoſ. part.* 1. *n.* 26. & 27. & *part.* 2. *n.* 21. aut ergo illo argumento non probatur Deum eſſe abſolutè & categorematicè infinitum; ſed indefinitum tantum:

aut

aut ſi probatur eo Deum eſſe actu & categorematicè infinitum, eâdem operâ etiam eodem argumento efficeretur, mundum eſſe actu & categorematicè infinitum; ſi non quantitate perfectionis & virtutis, uti Deus; ſaltem quantitate molis: quod expendi velim ab iis, qui ſimul Carteſii atque Hobbeſii placita adoptant. Quod porro negat, *honorificè de Deo dici, quod idea ejus animo noſtro inſit*, ſimiliter Carteſianis meditandum relinquimus. Idea quidem *conceptus noſter eſt*; ſed non vice verſâ omnis noſter conceptus eſt idea; quamvis ergo verum ſit, ideam *niſi rei finitæ non eſſe*; non tamen inde ſequitur, conceptum non dari rei infinitæ; *Rom.* 1. 19.

Honorificè autem *de Deo non dicitur, quòd habeat partes, aut quòd ſit totum aliquod*: illa enim per ſe imperfectionem & rem finitam dicunt, niſi vocabulum *totius* negativè intelligatur: ſicut dicimus; Deum eſſe totum hic & ubique; animam eſſe totam in toto

E cor-

corpore, & ſingulis ejus partibus, hoc eſt, non ſecundum partes. An verò ſimiliter *quòd in loco ſit*, non adeo manifeſtum eſt; *in aliquo* tantùm *loco eſſe*, Deo non convenit; quia ubique eſt; Deus igitur non eſt in loco *circumſcriptivè*: quod enim hoc modo in loco eſt, *undiquaque fines & terminos habet magnitudinis*; at Deus eſt infinitus: neque *definitivè*, quomodo Angeli in loco eſſe dicuntur, ut ſint hic & non alibi; at Deus eſt ubique, uti diximus: eſſe tamen Deum in loco *repletivè*, modo ſibi conveniente, quid obſtat? *Jer*. 23. *v*. 24. diſtinguunt alii; locum conſiderari aut ut *rem creatam*, aut ut *contentivum locati*; illo modo in loco omni eſſe Deum, hoc in nullo. Non tamen Deo convenit *moveri aut quieſcere*; non quia *illa ſupponunt eſſe in loco* ſimpliciter; ſed eſſe in loco modo finito; ſc. vel circumſcriptivè vel definitivè. Similiter *plures eſſe Deos* implicat contradictionem: tùm quia repugnat plura eſſe infinita; tùm propter

pter alias rationes ; quas vide apud *Suarez. metaph. diſp. 29. ſect. 3. Pleſſæum de verit. relig. Chriſt. cap. 2. & 3. alioſque.*

Quòd verò biſariam attributa Dei partiatur ; quòd *alia ſignificent magnitudinem & potentiam, alia felicitatem,* quæ *attributa felicitatis* vocat ; id meo judicio fit parùm accuratè : nam præterquam quòd omnia attributa Dei ad hæc tria vix poſſunt reduci ; etiam felicitas ſeu beatitudo , quam quoque Deo tribuit Apoſt. 1 *Tim.* 6. 15. eſt illa Dei perfectio, quæ ex omnibus Dei attributis reſultat, etiam illa, quæ magnitudinem & potentiam ſignificant, includens ; atque ipſe antea felicitatem definivit, quòd nihil aliud ſit, quàm (N.B.) *potentia* in futurum ſecura, *art.* 10. Interim fatemur, *indigna eſſe Deo illa omnia, quæ dolorem ſignificant* : quia in conceptu ſuo imperfectionem includunt ; talis eſt *pœnitentia* ; at illa quandoque Deo tribuitur, *Gen.* 6. 6. aliquandò diſertè de eo ne-

gatur. *Num.* 23. 19. 1 *Sam.* 15. 29. & meritò: quia imprudentiam ſupponit, & mutationem voluntatis, & cum dolore conjuncta eſt in eo, quem pœnitere dicimus; quando ergo Deo tribuitur, fit id impropriè & ἀνθρωποπαθῶς; ratione *effectus*, non *affectus*. At quantùm ad *iram* & *miſericordiam* de iis paulò aliter videtur ſtatuendum; ut quæ paſſim in S. Scripturâ Deo tribuuntur, neque, ut *pœnitentia*, tam diſertè de Deo negantur. quid ergo? anne Divinâ Maj. *ira* & *miſericordia* ſunt indignæ? minimè gentium: quid enim Deo dignius eſt, quàm peccatoribus iraſci, & pœnitentium miſereri, ſi omnis imperfectio ab iis removeatur, quæ in hominibus tales affectus ſolet comitari; non ergo conveniunt Deo tantùm *figuratè per metonymiam, quatenus intelliguntur pro effectu*, ſicut *pœnitentia* (ut ille exiſtimat); ſed & quatenus *intelliguntur pro affectu*, quod Idem negat; per affectum autem non intelligo, ſicut eum definit

Ariſt.

Ariſt. *motionem appetitus ſenſitivi*, &c. ut ſic enim imperfectionem dicit; ſed actum voluntatis.

Fatemur etiam *indigna eſſe Deo*, *quæ egeſtatem notant*: de *ſpe* res manifeſta eſt; de *appetitu*, *concupiſcentiâ*, *amore* non ita: appetitus ſenſitivus Deo non convenit; appetitum autem rationalem, qui nihil aliud eſt, quam voluntas, ſive in actu primo conſideretur, ſive in actu ſecundo pro actu voluntatis, Deo propriè convenire, nemo Theologorum hactenus dubitavit. Similiter nulla in Deo fingi poteſt concupiſcentia, præter actum voluntatis, qui amor concupiſcentiæ vel unionis à Theologis appellatur. *Eph.* 2. 4, 13. neque ergo hæc Deo indigna eſt; non quidem quatenus fertur in aliquid, quod Deo deſit, ſic ipſi indigna eſt; ſed quatenus ex abundantiâ bonitatis ſuæ fertur in aliquid, quod deeſt nobis, communicandum; & ſic nihil aliud eſt, quàm *amor*, etiam quidem qui *cupido* dicitur; quo ſenſu autem

ille Deo poſſit tribui, jam dixi. Sic triplex amor à Theologis rectè Deo tribuitur; *unionis* ſeu concupiſcentiæ, *complacentiæ*, & *benevolentiæ*; ſenſu ergo, quo diximus, *intelligi poteſt Deus appetere, & cupere ea, quibus* tamen non *caret*, imo quæ neceſſariò habere ſupponitur.

Rectè à Deo removetur *facultas paſſiva: pati enim*, ut rectè diſſerit, *potentiæ limitatæ eſt, & quæ dependet ab alio.* Quando ſuprà *attribuimus Deo voluntatem, non intelligimus ſimilem noſtræ, ſed aliquid analogum*; ut hîc rectè monet. Quod vero de *appetitu rationali* hic movet, *illum eſſe non omnem voluntatem, ſed humanam; voluntatem vero divinam appetitum rationalem* non eſſe dicendam; non rem ipſam, ſed nomen tantùm tangit; quare de hoc non contendam, modò ne perfectio illa Divinæ Maj. detrahatur, quæ venit nobis nomine voluntatis. Porro etiam *viſionem, & cæteros ſenſuum actus, vel ſcientiam & intellectum, prout in nobis*

bis ſunt, fatemur à Deo eſſe removenda; non tamen putandum eſt, in Deo ſcientiam & intellectum non dari: manifeſtè enim in S. Literis Deo tribuitur. *Pſal.* 94. 11. *Exod.* 3. 7. 1 *Reg.* 8. 39. *Pſal.* 139. 2, 4, 17, 23. *Act.* 15. 18. 1 *Joh.* 3. 20. *Rom.* 11. 33. In homine quidem & Angelis imperfectionem connotant: illi enim rerum ſciendarum imagines extrinſecùs ab objectis in ſe recipiunt; Deus autem non: ſed quæcunque novit alia à ſeipſo, novit illa vel ex ſuâ omniſufficientiâ ratione eorum, quæ ſunt poſſibilia, quæ *ſcientia ſimplicis intelligentiæ* dicitur; vel in decreto ſuæ voluntatis, ratione eorum quæ ſunt futura, quæ dicitur *ſcientia viſionis*.

Quæ porro tradit de nominibus Deo tribuendis, *oportere illa eſſe vel negativa, vel ſuperlativa, vel indefinita*; non repugnamus; & ſimiliter, *non debere nos arrogare nobis, dicere velle, quid ſit* DEUS; ſi perfectam Dei definitionem intelligat, ex genere univoco

 &

& differentia ſpecificâ conſtantem, juxta leges perfectæ definitionis: *id enim demum eſſet, Deum limitibus noſtræ phantaſiæ circumſcribere*; aliqualem tamen Dei deſcriptionem nobis ſuggerit S. Scriptura; ſc. quod ſit *ſpiritus ſeipſo ab æterno exiſtens, ſeipſo perfectiſſimo modo vivens; unus eſſentiâ, trinus perſonis; Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Joh.*4. 24. & 5. *v.* 26. *Apoc.* 1. 4. *Exod.*3. *Pſal.*90. 2. *Deut.* 6. 4. 1 *Joh.*5.7. Quantùm ad attributa Dei, quæ negativè efferuntur, ut *infinitus, incomprehenſibilis* &c. exiſtimo illa omnia & ſingula, etiamſi negativè efferantur, deſignare tamen (quamvis indirectè) poſitivam aliquam in Deo perfectionem, quam non poſſumus nos niſi negativè concipere & verbis exprimere; quo ſenſu Triſmegiſtus *Deum omni nomine præſtantiorem* dixit. Quo faciunt & illa Damaſceni orthodox. fid. libr. 1. c. 4. *De Deo, quid eſt ſecundum ſubſtantiam dicere impoſſibile; convenientiuſque de Deo longe eſt, per omnium*

omnium ablationem (πάντων ἀφαιρέσεως) *facere ſermonem : nam nihil eorum, quæ ſunt, eſt ; non ut nonens, ſed ut omnia entia ſupereminens, & ſuper ipſum eſſe ens.* Attributa autem negativa ſignificare poſitivam in Deo perfectionem, patet: quia removent à Deo imperfectionem ; imperfectio autem negatio eſt ; ſicut ergo duo negativa affirmant, atque aliquid ponunt, ſic attributa negativa in Deo imperfectionem hanc aut illam negantia, poſitivam aliquam in Deo perfectionem neceſſariò inferunt. De *infinito* Suarez ex mente Thomæ, *eſſe infinitum*, inquit, *in eſſentiâ in quâdam negatione conſiſtit, quæ abſolutam rei perfectionem indicat.* Et paulò poſt ; *infinitas, quatenus ſub illâ negatione perfectionem indicat, pertinet ad perfectionem ſimpliciter, adeóque ad ſummam entis perfectionem. metaph. diſp.30. ſect.2. n. 20. & 21.* Etiam Carteſius inter *negativè* & *poſitivè infinitum* diſtinguit; hoc convenire ſoli Deo ; illud etiam

aliis, quæ non infinita, ſed *indefinita* dicenda eſſe jubet. *Princ. Phil. part.* 1. *cap.* 1. *n.* 27. *æternitas* autem Dei, quamvis non aliter quàm negativè ſoleat explicari (ſc. quòd æternum ſit, quod caret principio fine & ſucceſſione) terminus tamen poſitivus eſt, poſitivam etiam perfectionem in Deo ſignificans: ut liquet ex modis loquendi in S. Literis uſitatis, quibus æternitas Dei declaratur; ut quando Deus appellatur יהוה paſſim; præterea אהיה אשר אהיה, *Exod.* 3. 14. יה quod etiam eſſentiæ æternitatem notat. item τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, *Apoc.* 1. *v.* 8. *Boëthio eſt, interminabilis vita tota ſimul ac perfecta poſſeßio, de conſ. Philoſ.* Errat ergo Auctor; quando inter terminos negativos numerat æternitatem; & de terminis negativis, qui Deo tribuuntur, ut *infinitus*, *incomprehenſibilis* &c. negat, iis, *quid ſit Deus*, indicari; hoc eſt, non ſignificari poſitivam aliquam, quamvis

vis inadæquatè & admodum imperfectè, in Deo perfectionem. Similiter attributa Dei reliqua, quæ poſitivè efferuntur, quamvis adæquatè non ſignificent, quid Deus ſit, utcunque efferantur ſive indefinitè, ſive ſuperlativè (perfectè enim de Deo cogitare non poſſumus, nedum eloqui) nomina tamen ſunt naturam Dei ſignificantia, quamvis inadæquatè. Unde conſtat falſum eſſe, quod ad finem hujus art. dictat; *unicum tantùm rationem dictare naturæ ſignificativum Dei nomen, Exiſtens, ſive ſimpliciter, quod eſt; unumque relationis ad nos; nempe Deus, quo continetur & rex & Dominus & pater:* nam dicitur Deus Spiritus; item optimus, maximus, fortiſſimus &c. juſtus, miſericors, ſapiens &c. ratio etiam naturalis dictat, hæc Deo ineſſe; hæc tamen non dicunt, quid non ſit Deus; ſed quid ſit; neque *nomina bonus, juſtus, fortis ſunt indefinita,* quaſi nihil definitè ſignificarent; ſed aliquid uſu aut lege civili definiendum:

neque definita aliqua nominis ſignificatio, cùm Deo tribuitur, notat perfectionem illam iſto nomine definitè ſignificatam Deo ineſſe modo finito. *Dei* etiam nomen eſſe nomen relationis ad nos, eoque per ſe ſignificari regem, Dominum & patrem; non abſolutum, falſum eſſe validis argumentis contra Neo-Arianos demonſtravit *Maccov. l. com. pag.* 124. *&* 125. item *Hoornb. Soc. conf. tom.* 1.

ART. XV.

De actionibus, quibus Deo cultus exhibetur naturaliter.

ACtiones *externæ*, fateor, *quibus Deus colendus eſt*, *ſigna eſſe debent animi honorantis.* Quòd verò *preces* referat ad *actiones externas, quibus honoratur* Deus, non placet: magis enim illæ corde, quàm ore conſtant; & quamvis etiam ore precemur, non tamen precatio eſt, quatenus ore fit; ſed quatenus ab intimis animi ſuſpiriis promanat. vide *Exod.* 14. 15. 1 *Sam.* 1. 13.

1. 13. *Pſal.* 10. 16. & 38. 10. & 62. 9. *Rom.* 8. 23, 26. *Matth.* 6. 6, 7. 1 *Cor.* 14. 15. atque hâc ratione *preces ſunt ſigna ſpei*; *ſpes* etiam *bonitatis & potentiæ divinæ* eſt *argumentum*; verùm ſpei non tantùm, ſed & fidei & charitatis. *Rom.* 10. 14. *Pſal.* 34. 4, 9. neque precatio ex fide & ſpe facta tantùm potentiæ & bonitatis, ſed & omnipræſentiæ & omniſcientiæ divinæ agnitio eſt.

Quantum ad *gratiarum actionem*, ea in actionibus externis magis elucet, quàm precatio; ut quæ non tantùm ore & corde, ſed & bonis operibus peragitur intuitu beneficiorum Dei præſtandis; animus tamen ſi abſit, hypocriſis eſt, quam abominatur Deus; quomodo autem *gratiarum actio per ſe ejuſdem affectus*, hoc eſt, ſpei *ſignum ſit*, non ita liquet: magis ſignum eſſe charitatis: ſicut enim *beneficium antecedunt preces*, *gratiæ conſequuntur*; ſic ſpes reſpicit beneficium futurum, & precatione acquirendum; charitas bene-

beneficium precibus acquiſitum.

Dona, id eſt, oblationes & ſacrificia; quoniam ad cultum non naturalem, ſed inſtitutum pertinent, de iis nihil ex ratione naturali definiri poteſt: quoniam enim ratio naturalis dictat, Deum ſibi ſoli ſufficere, nec quoquam indigere, donis, hoc eſt, ſacrificiis & oblationibus honorari Deum ſciri nequit, niſi lege aliquâ poſitivâ Divinitùs revelatâ. vide *Act.* 17. 24, 25. hinc illud *Ovid.*

Non bove mactato cœleſtia Numina gaudent;
Sed, quæ præſtanda eſt & ſine teſte, fide.

Huc facit etiam illud Theophraſti, quod ex Porphyr. ſicut alia plurima húc facientia refert, *Euſeb. præp. Euang. libr.* 4. *cap.* 14. *Deos nihil iſtis omnibus* (donis & ſacrificiis) *indigere, ſed in eorum potiùs, à quibus adeuntur mores intueri, magnique ſacrificii habere loco rectam de ſeipſis, deque rerum verita e, ſententiam.* Vide Rivet. in

Geneſ.

Geneſ. cap. 4. exerc. 42.

Non etiam *jurandum per alium* præter Deum, docet ratio naturalis. Quod autem dicit; *juramento non fore opus, ſi homo aliquis eſſet, cui neque abſcondi ſubditorum ſuorum malitia, neque reſiſtere humana potentia poſſet*, falſum eſt: juramenta enim nihilominùs uſum ſuum habere poſſent in votis Deo nuncupandis. *Geneſ.* 28. 20, 21, 22. *Num.* 30. 3, 11, 14. *Pſal.* 119. 106. & 132. 2.

Similiter *de Deo eſſe conſideratè loquendum; neque eße jurandum, ubi non eſt opus.* Sed *opus* non tantùm *inter civitates ad bella præcavenda; aut in civitate ad judiciorum certitudinem*; ſed & quandóque etiam inter privatos, ob juſtas & graves cauſas, opus eſſe poteſt. *Gen.* 25. 33. *Joſ.* 2. 12. 1 *Sam.* 20. 13, 42. 2 *Cor.* 1. 23. *Rom.* 1. 9. *Phil.* 1. 8. 1 *Reg.* 18. 10, 15. Sed *an in regno Dei naturali non ſit diſputandum de naturâ divinâ*, non æquè certum eſt. Verum eſt, *in regno Dei naturali*

ſolâ

ſolâ ratione omnia inquiri; ſed *ratione naturali naturam Dei*, atque ipſius attributa *ſciri non poſſe*, refellunt multa à Gentilibus Philoſophis de attributis divinis ſapienter tradita; & quæ de cognitione Dei ex principiis ſcientiæ naturalis tradit Apoſt. *ad Rom.* 1. atque ipſe art. præced. multa ex ratione naturali circa attributa Dei definivit: tribus viis ex principiis Philoſophiæ perveniri poteſt ad aliqualem Dei cognitionem; viâ *eminentiæ*, viâ *cauſalitatis* & viâ *negationis*, præeunte S. Paginâ; illa innuitur *Jeſ.* 55. 8, 9. & 40. 15, 17, 22, 25. *Matth.* 7. 11. 1 *Cor.* 1. 25. *Eph.* 3. 20. 1 *Tim.* 6. 16. 1 *Tim.* 1. 17. iſta *Pſal.* 94. 9. *Eſai.* 49. 15. & 66. 9. *Matth.* 5. 48. *Act.* 17. 25, 28, 29. *Rom.* 1. *Pſ.* 19. hæc *Deut.* 4. 15. 1 *Tim.* 6. 15. *Jeſ.* 55. 8. at hâc ratione nemo niſi diſputando de Dei naturâ ad Dei cognitionem poteſt pertingere. Quandò autem contendimus, ratione naturali naturam Dei ſciri poſſe, non intelligimus perfectam Dei cognitionem;

talem

talem tamen, qualem Apoſt. *ad Rom.* 1. docet ſufficere ad Gentilium ἀναπολογησίαν. Quod autem dicit; *tantùm abeſſe, ut ex principiis ſcientiæ naturalis ſciamus naturam Dei, ut ne quidem noſtri corporis, aut cujuſque creaturæ proprietates ſatis aſſequi poſſimus*; certò ſcio, non concedent Carteſiani. Quandoque etiam, imo ſæpiſſimè *inconſideratam eſſe loquutionem de Deo; hoc vel illud non poſſe conſiſtere cum juſtitiâ Dei*, fatemur; ſed ſemper eſſe, aut eſſe non poſſe niſi inconſideratam, negamus: cur enim magis inconſiderata & temeraria loquutio eſt de Deo, hoc vel illud non conſiſtere cum juſtitiâ Dei; poſito ſc. aliquid Deo affingi, quod recta ratio dictat juſtitiæ Dei adverſari; quàm hoc vel illud non conſiſtere cum ſimplicitate, immutabilitate, ſanctitate, omnipotentiâ, ſapientià & veritate Dei? vide 2 *Tim.* 2. 13. *Tit.* 1. 2. atque ipſe art. præced. diſputavit, Deo non eſſe tribuendam *figuram*; non dicendum, *ideam* ejus animo

animo noſtro ineſſe; neque quòd habeat *partes*; aut quòd ſit *totum* aliquid &c. quia cum *infinitate* Dei non poſſunt conſiſtere. Item indigna Deo eſſe, quæ ſignificant *dolorem*; ut *pœnitentia*, *ira*, *miſericordia*; vel *egeſtatem*; ut *appetitus*, *ſpes*, *concupiſcentia*, &c. quia non conſiſtunt cum Dei *felicitate*.

Docet præterea, *in precibus, gratiarũ actionibus, ſacrificiis quicquid exhibetur, oportere eſſe optimum*; ſed quantum ad ſacrificia, multæ olim fuerunt gentes quæ humanis hoſtiis litârunt, imo proprios liberos diis ſuis immolârunt: de Chananæis conſtat *Lev*. 18. 21, 24. *Deut*. 12. 31. & 18. 9, 10. de Sabæis idem teſtantur Hiſtorici apud *Hottingerum Hiſt. Orient. libr*. 1. *cap*. 8. In Ægypto quoque homines, & quidem formæ exquiſitæ, ſacrificatos fuiſſe antiquitùs literis proditum eſt; & Romanis olim creditum fuit, ſacrificii æſtimationem mactati dignitate augeri, unde & apud illos hæc ἀνθρωποθυσία emerſit. De quâ Gentilium con-

Digitized by Google

conſuetudine videre licet *Jul. Caſ.l.6. de Bell. Gall. Plutarch. in Themiſtocle. Juſt. libr. 8. Flor. libr. 3. cap. 4. Amm. Marc.l.22. & 27. Lamprid. in Heliogab. Lætum in Maxent. Lucret. l. 1. de nat. Agell. l. 2. c. 6. Macrob. Saturn. l. 1. c. 7. Tertull. apol. c. 9. Auguſt. q. 46. ſuper Jud. Prudent. l. 2. contra Symmach. Euſeb. de laud. Conſtant.* & alibi. vide *Seldenum de Dis Syris, Pleſſæum de verit. relig. Chriſt. cap. 23. Sharrock in hypoth. Eth. pag. 392. & ſeqq.* Imò hanc ἀνθρωποθυσίαν etiam Americæ incolis frequentari, rradunt hiſtorici. Nunquid ergo Gentiles rectæ rationi convenienter fecerunt? nam quid præſtantius, carnis judicio, Deo immolare potuerunt? unde colligo, ſacrificia ad cultum Dei inſtitutum pertinere, non ad naturalem; neque ex ſolâ ratione naturali de iis quicquam ſine verbo Dei abſque periculo erroris poſſe definiri, imò nihil definiendum eſſe; quod ipſum ſaniores inter ipſos Gentiles & viderunt & præceperunt,

perunt, dùm placationis faciendæ ritus ſibimetipſis præſcribere non fuerunt auſi, ſed ſatiùs duxerunt, divinitùs illos per oracula, Vates, Augures, alioſque, quibus cum Diis putabatur commercium, ſciſcitatos addiſcere; ſapienter Jamblichus de vitâ Pyth. *non facile eſt dignoſcere, quibus delectatur Deus, niſi quis eum, qui Deum audivit, vel Deum ipſum audiverit, vel divinâ arte eam ſibi ſcientiam comparaverit*: teſtimonia alia Gentilium brevitatis causâ non addam: legi illa poſſunt apud *Sharrock. loc. cit. pag.* 300. *& ſeqq.*

Ad membrum hujus art. ſeptimum & octavum nihil notatu dignum occurrit.

ART. XVI.

An in regno Dei naturali Civitas poſſit cultum Dei inſtituere arbitrio ſuo?

HActenus unde ſit Deo jus regnandi in homines in regno ſuo natu-

naturali; deque legibus (ſacris) hujus regni, ſive honore & cultu Divinæ Maj. In ſequentibus diſputat Auctor de auctoritate Civitatis circa cultum naturalem in hoc Regno Dei. Atque hâc de re primùm docet; *in Regno Dei naturali Civitatem poſſe cultum Dei inſtituere arbitrio ſuo*, ut habetur in margine hujus art. & in fine art. hoc modo concludit; *Civitati obediendum eſſe, quicquid juſſerit pro ſigno honorandi Deum, id eſt, pro cultu uſurpari, modo id in ſignum honoris inſtitui poſſit: quia honoris ſignum eſt, quod juſſu Civitatis pro tali habetur.* Non negamus in poteſtate eſſe Civitatis, ſive ejus, qui in Civitate eſt cum ſummo imperio, definire; quis cultus publicè in civitate ſuâ obtinere debeat: ſed, cultum poſſe inſtituere *arbitrio ſuo*; ſive obediendum eſſe Civitati abſolutè & cœcâ obedientiâ, quicquid juſſerit pro cultu Dei uſurpari: nam aut cultus ille, quem inſtituere in Regno Dei naturali vult, eſt cultus, quem Deo convenire

nire dictat ratio naturalis; aut qui dictamine rationis naturalis non eſt definitus: ſi prius, non Civitas demum illum inſtituit; ſed à Deo per dictamen rationis naturalis inſtitutum ſupponit, & in civitatem ſuam introducit; cultum autem Dei inſtituere, qui ab ipſo Deo inſtitutus non eſt, non eſt in poteſtate ullius hominis; aut inſtitutus, qualiſcunque ſit, ſignum honoris erga Deum eſſe nequit, ſed ἐθελοθρησκέια eſt & ſuperſtitio, quam Deus non probat, ſed damnat, *Col.* 2. *v. ult.* *Matth.* 15. 9. *Rom.* 14. *v. ult.* Rurſus docet ipſe *art.* 3. in Regno Dei naturali regnare Deum per dictamina rectæ rationis; & *art.* 14. dictare rationem naturalem, Deum non dignè honorari, ſi minus potentiæ & magnitudinis ei attribuamus, quàm poſſumus; quod fit, ſi ei tribuamus *figuram*, *eſſe totum aliquid*, *habere partes*; indigna Deo eſſe quæ ſignificant *dolorem*, *indigentiam*; quando ei tribuimus *viſionem*, & cæteros ſenſuum actus &c.

&

& quoad actiones externas eſſe generaliſſimum rationis præceptum, *ut ſint ſigna animi honorantis*; & inter alia, *ſacrificia* debere eſſe optima: fingamus ergo, jubere Civitatem pro cultu uſurpari illa (ſeu nomina, ſeu actiones) quæ Deus per dictamina rectæ rationis pro cultu uſurpari vetat; ut quantùm ad *nomina*, ſeu *attributa*; Deum eſſe corporeum, habere partes, plures eſſe Deos, & ea quæ ſignificant dolorem, indigentiam, videre & cæteros ſenſuum actus &c. & quantum ad *actiones*; eum colere per imagines, liberos ſuos ei immolare &c. quod ſi ergo obediendum Civitati, quicquid juſſerit pro cultu uſurpari; & honoris ſignum ſit, quod juſſu Civitatis pro tali habetur; pro cultu Dei uſurpandum erit à ſubditis, quod per dictamina rectæ rationis Deus pro cultu uſurpari vetat, atque honoris ſignum, quod per rationem naturalem Deus non honoris, ſed contumeliæ ſignum eſſe pronuntiat.

Sed

Sed ipſum contrà diſſerentem audiamus. *Duo* docet *eſſe genera ſignorum; naturalium, & pactitiorum ſive ex inſtituto; eaque eſſe vel nomina, vel actiones*; quibus duobus omnem cultum naturalem in præced. docuit conſiſtere; quantum ad nomina: *quoniam*, inquit, *in omni linguâ nominum ſive appellationum uſus ex conſtituto oritur, etiam ex conſtituto poterit mutari: quod enim dependet & vim ſuam derivat à voluntate hominum, eorundem conſentientium voluntate mutari, vel aboleri poteſt; nomina ergo, quæ ex conſtituto hominum obtinuerunt Deo attribui, eorundem conſtituto ceſſare poſſunt; quod autem conſtituto hominum poteſt fieri, id conſtituere Civitati licet: jure ergo Civitas, quæ nomina ſive appellationes Deo honorificæ ſint, quæ non ſint, hoc eſt, quæ doctrinæ de naturâ & operationibus Dei publicè tenendæ, vel profitendæ ſint, judicabit.* Reſp. Nominum ſive appellationum uſum ex conſtituto oriri notum eſt: tritum illud; *verba valent uſu;*

uſu; etiam uſum illum nominum ſive vocabulorum ex conſtituto poſſe mutari, & contrario uſu abrogari. Non tamen procedit hoc: *quod dependet & vim ſuam derivat à voluntate hominum, eorundem conſentientium voluntate mutari vel aboleri poteſt*; ut patet in contractu matrimoniali. Fatemur tamen, *nomina* quà talia, *quæ ex conſtituto hominum obtinuerunt Deo attribui, eorundem conſenſu ceßare poſſe*; verùm non de ipſis nominibus materialiter ſumptis diſputamus, ſed de ipſis Dei attributis, per nomina ſive vocabula illa ſignificatis, quæ ratio naturalis dictat Deo ineſſe; ſive doctrinis de naturâ & operationibus Dei: at illa (attributa) aut conſtituto hominum Deo attribui, aut eorundem conſenſu ceſſare poſſe, negamus: ſicut enim natura Dei & operationes ejus à nullo hominum arbitrio dependent, ſic nec doctrinæ ſeu veritates ipſæ, quæ cum naturâ Dei ſunt æternæ & immutabiles; niſi ergo doctrina de natura &

F opera-

Digitized by Google

operationibus Dei naturæ & operationibus ejus ſit conſentanea, erronea eſt, & in Deum contumelioſa, quicquid ullus hominum de ea ſtatuerit: neque doctrinæ de Deo in nominibus tantùm conſiſtunt, quæ communi hominum conſenſu poſſunt vel inſtitui, vel aboleri; ſed primariò in ipſis animi conceptibus, qui iidem diverſis nominibus pro linguarum varietate exponi poſſunt. Neque attributa Dei nomina ſunt, quæ Deo attribuuntur; ſed perfectiones, quæ revera ipſi Deo inſunt. Præterea ſicut nomina uſu valent, ſic uſu contrario, non autem conſtitutione, ſive lege aliquâ civili, abrogari poſſunt, aut ſolent; unde liquet non ſequi hoc: *quod conſtituto hominum poteſt fieri, id conſtituere Civitati licet.* Quantum ad *actiones*, quibus honorandus eſt Deus, diſtinguit: *quæ ſigna naturalia, hoc eſt ſemper ſigna ſunt, vel contemtûs vel honoris, in iis nihil mutare Civitatem poſſe; at infinitas alias eſſe, quæ,*

quod

quod attinet ad honorem vel contumeliam, adiaphora ſunt; eas in ſigna honoris à Civitate inſtitui poſſe, & inſtitutas revera eſſe honorificas. At ſi in actionibus externis, quæ non ſignificant ex inſtituto hominum, ſed naturaliter, nihil Civitas mutare poteſt arbitrio ſuo, ut hîc ipſe fatetur; ergo, inquam, multò minùs in doctrinis de naturâ & operationibus Dei: ſicut enim immutabilis eſt ipſa Dei natura; ſic & omnes de Deo doctrinæ, & veritates immutabili ipſius naturæ conſentaneæ, & rectæ rationi, non minùs ſunt naturalia honoris Dei ſigna & media, quàm ullæ hominum actiones externæ. Quantum ad actiones, quæ quod attinet ad honorem aut contumeliam adiaphoræ ſunt, eas in ſigna honoris erga Deum à Civitate inſtitui poſſe, & inſtitutas revera Deo eſſe honorificas, ſuprà modo refutavimus: quæ enim ſibi honorifica ſint, ſolius Dei eſt inſtituere & præſcribere; ſicut in cultu na-
F 2 turali,

turali, ut in confeſſo eſt, ſic etiam in cultu inſtituto.

ART. XVII.

An regnante Deo per naturam, ſola Legum omnium interpres ſit Civitas; id eſt, is Homo vel Curia, quæ ſub Deo habet Civitatis imperium ſummum?

Q*Voniam*, inquit, *nemo eſt, quin falli poſſit ratiocinando, contingatque circa pleraſque actiones homines diſcordi ſententiâ eſſe; quæri ulteriùs poteſt, quemnam rectæ rationis, hoc eſt, Legum ſuarum interpretem Deus eſſe voluerit?* & concludit, *Legum naturalium tàm ſacrarum, quàm ſecularium interpretationem dependere ab auctoritate Civitatis, hoc eſt, ejus hominis vel Curiæ, cui conceſſum eſt ſummum civitatis imperium.* Reſp 1. Non negamus, interpretationem legum naturalium pertinere ad aliquem, qui perſonam publicam ſuſtinet, in Civitate illâ, in qua Deus regnat per ſolam rationem na-

naturalem; ſed (quoad leges *ſacras*) eſſe non poſſe, aut debere niſi in ſolo eo, qui in Civitate eſt cum ſummâ imperii poteſtate: quamvis enim olim in multis civitatibus Reges ſimul etiam fuerint Sacerdotes & Philoſophi: apud Æthiopes, ut narrat *Diodorus*; apud Ægyptios, *Plutarchus*; apud Spartiatas, *Herodotus*; apud Athenienſes & pleraſque Græcorum civitates, *Plato*: ut eſt apud Grotium *de Imper. ſum. poteſt. circa ſacra. cap.* 2. in aliis tamen ſecus obtinuit; de Judæis conſtat & teſtatur Joſephus *antiq. Jud.* 13. 19. *Vt quidam*, inquit, *principes ſimul & pontifices eſſent, tempore Maccabæorum primùm fieri cœpit, præſertim principatu Ariſtobuli, qui primus principatum ſummo pontificatui conjunxit, & diadema ſibi impoſuit annis poſt captivitatem Babylonicam* 481. de aliis populis idem notius eſt, quam ut probari debeat; quin imo Cicero, dum *apud veteres eoſdem* dicit *auguria tenuiſſe, qui re-*

Digitized by Google

rum potiebantur, non obſcurè ſubinnuit ſuo tempore ſecus fuiſſe; atque etiamnum hodie apud Japones, alioſque infideles diſtinctos eſſe Sacerdotes a Principibus ſecularibus teſtantur hiſtoriæ; atque imprimis neceſſarium eſſe videtur in regnis illis; in quibus juxta leges regni fundamentales fœminæ exiſtunt cum ſumma imperii poteſtate; quas ſacris præeſſe non permittit ratio naturalis. Unde concludo hâc de re ex jure naturali in theſi nihil poſſe definiri; verùm ſpectandum, quantum poteſtatis ſubditi in ipſâ Civitatis conſtitutione in Imperantem conferre voluerint.

2. Dato in regno Dei naturali interpretationem legum naturalium tam ſacrarum quam ſecularium dependere ab auctoritate Civitatis, quoniam tamen & nemo Principum eſt, quin falli ratiocinando poſſit, & ſæpe fallatur, teſte experientiâ & ſcripturâ *Pſal.* 62. 10. & 116. 11. quod & ingenuè confeſſus aliquando

do magnus Britanniæ Rex, negans, *Reges eſſe doctrinæ judices falli neſci-os*, apud Grotium libr. cit. *cap.* 5. quæri ſimiliter poteſt: anne Deus judicem & interpretem legum ſuarum eſſe voluerit abſolutè ſolum Imperantem? certè cùm ex obſervantiâ legum Dei pendeat ſalus & beatitudo ſubditorum maximè, & fundamentum primum juris naturalis ſit conſervatio ſui ipſius, ut ipſe contendit *art.* 7. *cap.* 1. recta ratio docere videtur, judicium hocce ſubditis non debere prorſus negari: ſc. ſaltem *conſequens* & *diſcretionis*, 1 *Cor.* 10. 15. hoc autem ille non permittit; ſed ſeditioſam eſſe hanc opinionem clamitat. *art.* 1. *c.* 12. Auctoritatem publicam interpretandi leges naturales, ſive *judicium publicum*, regnante Deo per ſolam rationem naturalem, concedimus ſolis imperantibus convenire poſſe; at hoc judicium *privatum* ſingulorum non excludit. *Exod.* 1. 15. *& ſeqq.* Nam 1. Ipſe do-

Digitized by Google

cet *art.* 4. regnum Dei naturale eſse, in quo regnat Deus per dictamina rationis naturalis, idque univerſale eſſe in omnes propter rationem naturalem omnibus communem; & *art.* 3. Deum leges ſuas (naturales) promulgare per tacita rectæ rationis dictamina, & quidem ita perſpicuè, ut tollatur omnis ignorantiæ excuſatio; quæ aut falſa ſunt; aut fatendum, ſubditos etiam ſingulos privatim legum naturalium tam ſacrarum, quam ſecularium cognoſcere ſententiam veram & genuinam, hoc eſt, illas interpretari. Porro de Atheis, qui vel Deum eſſe non credunt, vel mundum hunc gubernare; docet *art.* 2. non eſſe ſubditos in regno Dei, ſed hoſtes; quod ſi ergo contingat, Atheum eſſe illum, qui in civitate cum ſummâ poteſtate eſt; ſubditi vero Deum eſſe credant, & mundum gubernare; penes quem hoc caſu erit auctoritas interpretandi leges naturales, ſaltem ſacras? ſi penes

Digitized by Google

nes Imperantem; ſequitur, legum divinarum interpretationem pendere ab auctoritate ejus, qui non eſt ſubditus in regno Dei, ſed hoſtis, ſeu Deum velle legum ſuarum interpretem eſſe hoſtem ſuum; ſi penes ſubditos, ergo etiam Deus in regno ſuo naturali ſubditos vult eſſe legum ſuarum naturalium interpretes. Præterea præcedente art. confeſſus eſt, in actionibus illis, quæ ſemper ſunt honoris vel contemtus ſigna, nihil immutare Civitatem poſſe; & quoad alias actiones, quæ quoad honorem aut contumeliam adiaphoræ ſunt, probauimus, illas á nullo hominum inſtitui poſſe pro cultu divino uſurpandas; non ergo interpretatio legum naturalium ſaltem ſacrarum abſolutè & ſimpliciter dependet ab Auctoritate Civitatis. Et ſiquidem hîc fatetur, *circa pleraſque actiones homines diſcordi ſententiâ eſſe*; ſequitur ergo, ſaltem aliquas eſſe actiones, in quibus concordi ſententiâ homines

conveniunt; leges ergo naturales de talibus ſaltem actionibus aut abrogare, aut immutare, *aut arbitrio ſuo interpretari*, non eſt in poteſtate Imperantis. Ulterius, quid ſit ipſi leges naturales interpretari, ſciri poteſt ex eo, quod docet *art.* 16. *cap.* 6. ſc. furtum, adulterium, homicidium, atque injurias omnes legibus naturæ prohiberi; ſed quid in cive furtum, adulterium, homicidium, atque injuria appellandum ſit, non naturali, ſed civili lege determinandum eſſe; ſimiliter ergo leges reliquas naturales, quas *ſeculares* appellat, quasque tradit *cap.* 2. *&* 3. dicetur Civitas interpretari, quando determinat lege civili; quid ſit *pacem quærere*; quid ſit *pactum*, & quomodo pacto *jura transferantur*, aut non transferantur; quando aut quomodo *pactis ſtandum ſit*; quid *injuria*, *ingratitudo*, *æquitas*, *miſericordia*, *contumelia*, *ſuperbia*, *modeſtia*, *crapula* appellandum ſit: ſimiliter quoad leges

leges *ſacras*, & cultum divinum circa Dei attributa; quid ſit *exiſtentia*, *infinitum*, *eſſe totum*, *habere partes*; quid ſit *idea*, *eſſe in loco*; *pænitentia*, *ira*, *miſericordia*; *appetitus*, *ſpes*, *concupiſcentia*; *facultas paſſiva*, *viſio* & cœterorum ſenſuum actus; *ſcientia*, *intellectus & voluntas*; *æternum*, *incomprehenſibile*; præterea quid ſit *bonum*, *juſtum*, *forte*, *optimum*, *maximum*, *fortiſſimum* appellandum; quid *creator*, Rex & ſimilia: & circa actiones externas, quibus Deus colendus eſt; quid ſint *preces*, & quomodo precandum; quid *gratiarum actio*; quæ *dona* & *ſacrificia* Deo offerenda; quid ſit *jurare*; *uti nomine Dei temere*; & infinita alia; quod ſi ergo horum omnium interpretatio pendeat ab auctoritate ſolius Imperantis; quâ igitur ille auctoritate hæc omnia definivit, & interpretatus eſt hoc ſuo tractatu? eſt quidem ille, ut audio, nobilis Anglus, ſed (ni fallor) non Angliæ Rex. Et quis cre-
 dat

dat nihil horum definiri aut ſciri poſſe, aut ſaltem jure poſſe à ſubditis; ſed horum omnium notitiam arceſſendam eſſe ab interpretatione ſolius Imperantis? quantos ergo Philoſophos oportet eſſe Reges! & quis non dicat ſtultè facere, oleum & operam perdere omnes, qui chartis impalleſcunt, Philoſophiæ doctores, eorumque diſcipulos, multum legendo, meditando ſeſe macerantes; multoque labore & ſtudiis notitiam illarum rerum ſibi comparantes, hoc eſt, leges naturales interpretantes, dum præſto eſt Deus in terris, áquo ſolo omnia hæc nullo negotio diſci poſſunt & debent? dicet forſan, *ſolius Civitatis eſſe leges naturales interpretari, ubi circa illas controverſia oritur inter ſubditos.* Sed 1. non dicit hoc. & 2. non nego eo caſu *judicium deciſionis* pertinere non ad ſingulos, ſed ad eum, qui in civitate ſummum habet imperium; ſed 1. quoad leges ſacras, pertinere non poſſe niſi ad eum ſolum.

ſolum. 2. judicium hoc *publicum* judicium *privatũ* & *diſcretionis* excludere; quod etiam ſubditis ſingulis convenire, præſertim in iis, quæ in cauſâ religionis præcipiuntur ab Imperantibus, agnoverunt etiam Ethnici: unde in iis, quæ religioſè fieri volunt, edictorum ſeveritati perſuaſionem addendam eſſe monet Plato *lib.* 4. *apud Stobeum*, & á Charondâ, aliiſque legum latoribus præſtitum videmus; at hoc fruſtra feciſſent, ſi de præceptis Imperantium judicare ſubditos, nefas putaſſent.

Objicit; *ſingulos cives tantum juris in eum vel eos, qui imperium habent civitatis, quantum transſferre potuerunt, tranſtuliſſe; potuerunt autem transſferre jus decernendi de modo, quo Deus honorandus eſt; ergo & tranſtulerunt*. Reſp. in hoc argumento aſſumit, quod ſuprà ad *art.* 13. *cap.* 5. falſum eſſe demonſtrandum eſt; puta, ſingulos cives tantum juris in Imperantem tranſtuliſſe, quantum tranſferre

potue-

potuerunt: & his non minus falſum ſubſumit, ſc. potuiſſe ſubditos transferre in alium jus abſolutè & pro arbitrio ſuo decernendi de modo, quo Deus honorandus eſt: id enim, quod ſubditi non habent in ſua poteſtate, in alium transferre non poſſunt; at ipſi in poteſtate ſuâ non habent pro arbitrio ſuo decernere de modo, quo Deus honorandus eſt; multo minus in poteſtate ſuâ habent in alium transferre jus imperandi circa cultum Dei, quod Deus ipſe per dictamina rectæ rationis circa cultum ſuum vetat: v. gr. ſi imperet idololatriam, aut homines Deo immolare, aut ſimile quid; aut in alium transferre, quod ſolius Dei eſt, quale eſt decernere de modo ipſum colendi. Poſſe autem ſingulos jus tale transferre in eum, qui ſummum habet Civitatis imperium, hoc modo conatur probare; 1. *quia modus honorandi Deum ante conſtitutas Civitates ab uniuscujuſque ratione privatâ petendus erat:*

at

at unuſquiſque rationem privatam rationi totius Civitatis poteſt ſubmittere. Reſp. 1. Modus honorandi Deum legitimus & rectus a ratione naturali haberi nequit ; ut patet tum ex *Rom.* 1. & 8: 7. 1 *Cor.* 2: 14. tum etiam experientiâ in gentilibus omnibus, qui verbo Dei prophetico hactenus caruerunt : non ergo à ratione naturali ſine manifeſto erroris periculo peti poteſt. unde 2. etiam nemo rationem ſuam privatam in omnibus abſolutè & ſimpliciter debet ſubmittere rationi totius Civitatis, hoc eſt, ſolius Imperantis ; præſertim in iis, quæ ad modum colendi Deum pertinent : hoc enim ſi poſſet, etiam conſcientiam ſuam ei poſſet ſubmittere (quid enim magis conſcientiam hominis tangit, quam modus colendi Deum ?) at dominari conſcientiæ ſolius Dei eſt. vide *Rom.* 14. 12. *Gal.* 6. 5. *Hab.* 2. 5. Inſtat 2. *Si ſinguli propriam rationem in colendo Deo ſequerentur, in tantâ diverſitate colentium,*

alter

alter alterius cultum indecorum, vel etiam impium judicaret, neq. alter alteri Deum honorare videretur; non eſſet ergo cultus, ne is quidem, qui maxime cum ratione congrueret: propterea quod natura cultus in eo conſiſtat, ut ſit ſignum honoris interni, ſignum autem non eſt, niſi quo aliquid innoteſcit aliis, &c. Reſp. cultus Dei verus & genuinus, ut antè monuimus, eſſe non poteſt, ubi verbum Dei non eſt, *Heb.* 11. 6. *Rom.* 10. 14. 2. non negamus in illâ civitate, ubi Deus regnat per ſolam rationem naturalem, officium Imperantis eſſe publicâ authoritate illum colendi Dei modum ſubditis præſcribere, quem maximè judicat cum ratione naturali convenire; ſed judicium privatum & conſequens ſubditis non convenire. 3. Supponit etiam, quod ſupra refutatum eſt; naturam cultus in eo conſiſtere, ut ſit ſignum honoris interni: nam 1. ipſe honor internus eſt cultus Dei. 2. ſi hoc eſſet verum, nemo privatim Deum

Deum colere dicendus eſſet. Et falſum eſt, ſignum honoris interni eſſe non poſſe, niſi quod aliis hominibus innoteſcit. 3. urget hoc; *ſignum verum eſt, quod conſenſu hominum fit ſignum; ergo & honorificum eſt, quod conſenſu hominum, id eſt, juſſu Civitatis fit ſignum honoris; non eſt ergo contra voluntatem Dei, per ſolam rationem declaratam, exhibere ipſi ſigna honoris, quæ imperabit Civitas. poſſunt ergo cives jus decernendi de modo colendi Deum in eum vel eos transferrē, qui civitatis habent imperium ſummum.* Reſp. Antea ſigna honoris diſtinxit; quòd quædam per naturam ſint talia, alia ex inſtituto; quando itaque dicit, *ſignum verum eſt, quod conſenſu hominum fit ſignum*, id de ſignis ex inſtituto tantùm intelligi debet, *art.* 16. at ut in præcedentibus ſæpius diximus; omnis cultus, qui non eſt ab ipſo Deo inſtitutus, vel per rationem naturalem, vel per S. Scripturam, non eſt cultus, ſed ſuperſtitio. Nec verum

rum eſt, *ſemper eſſe Deo honorificum, quod conſenſu hominum fit ſignnm honoris*: v.gr. non eſſet Deo honorificum, ſi coleretur per imagines, aut cultu alio ab hominibus inſtituto, *Col.* 2. talis tamen modus colendi Deum conſenſu hominum fieri poſſet ſignum honoris; neque etiam *quod conſenſu hominum fit, juſſu fit Civitatis, hoc eſt, Imperantis.* Interim quod concludit; *non eſſe contra voluntatem Dei, per ſolam rationem declaratam, exhiberi ipſi ſigna honoris, quæ imperabit civitas*, non negamus; modo ne privatum & ſubſequens judicium ſingulorum excludat. 1 *Theſſ.* 5. 21. Et ne quod imperat mihi Civitas, ipſe Deus per dictamen rectæ rationis mihi vetet; & ſi ſit cultus per rationem naturalem mihi præceptus: quamvis ergo, qui civitatis ſummum habet imperium, jus habeat decernendi de modo colendi Deum; negamus tamen id poſſe arbitrio ſuo, aut cives ſingulos abſolutè & ſimpliciter atque

Digitized by Google

atque in omnibus, imprimis in iis quæ ad cultum Dei pertinent, abdicato proprio & privato ſuo judicio, jus tale in Imperantem tranſferre potuiſſe; imo non *debent*: nî enim hâc in parte limitata ſit poteſtas Imperantis, fieri poſſet, ut *abſurdiſſimæ opiniones de naturâ Dei, ceremoniæque quævis ridiculæ, quæ apud ullas gentes exſtitêre, in totâ civitate conſpicerentur; ex quo contingeret,* non quidem *unumquemque credere cæteros omnes Deum contumeliâ afficere*; ſed ut omnes & ſinguli in totâ aliquâ civitate ſimul Deum contumeliâ afficerent, & omnes ſimul in Deum conſpirarent; *itaque de nemine dici poßet* verè *quòd Deum coleret: nemo enim Deum colit, id eſt, honorat externè, niſi is, qui ea facit, quibus* verè & rectæ rationi conſentaneè Deum *honorat*. Illud autem in caudâ *hujus art. Deum quicquid imperat, per vocem Imperantis imperare; & è converſo quod ab Imperante jubetur, & circa modum honorandi*

randi Deum, & circa ſecularia, imperari à Deo; dogma eſt contumelioſum in Deum, & pernitioſum hominibus, ut nihil ſuprá: quid enim? an ſi in civitatibus, ubi Deus regnat per ſolam rationem naturalem, aut coli Deus non jubeatur ab Imperante, aut coli prohibeatur, aut coli juberetur per imagines, aut abſurdiſſimis de naturâ Dei opinionibus, aut ceremoniis quibusvis ridiculis, aut cultu quovis ab ipſo Deo per dictamen rectæ rationis prohibito, aut ſaltem non inſtituto; Deus ipſe ſeſe coli non jubere, aut prohibere, aut ſeſe coli per imagines, aut abſurdiſſimis de naturâ ſuâ opinionibus, aut ceremoniis quibusvis ridiculis, aut cultu à ſeſe prohibito, aut ſaltem non inſtituto imperare dicendus eſſet, ſi quando hæc imperantur a principibus? hoc eſt, à Deo imperatur per Imperantem id ipſum, quod idem tamen ab ipſo Deo per leges naturales prohibetur? apage!
Scitè

Scitè Auguſt. Epiſt. 66. *Hoc jubent Imperatores, quod jubet & Chriſtus, quia cum* (N. B.) *bonum jubent, per illos non jubet niſi Chriſtus.* Tertull. apol. *In omni obſequio ſubditos nos eſſe debere poteſtatibus intra limites diſciplinæ.* Et hoc falſum; *Deum, quicquid imperat, per vocem Imperantis imperare:* imperat enim Deus non cultum externum tantùm; ſed & internum; at hunc non imperat per vocem Imperantis: imperia enim humana ad internas mentis operationes non pertingunt, quo facit illud Senecæ. 3. benef. *Errat, ſi quis putat, ſervitutem in totum hominem deſcendere: pars enim melior excepta eſt; corpora obnoxia ſunt & adſcripta dominis, mens ſui juris eſt.* Et illud Lactantii libr. 5. cap. 13. *Quis mihi imponat neceſſitatem vel credendi quod nolim, vel quod relim non credendi?*

Digitized by Google

DIGRESSIO
ad art. 16. cap. 6.
DE CIVE.
An quid furtum, homicidium, adulterium, & injuria ſit, cognoſcatur tantùm ex legibus Civilibus?

STatuit Auctor præc. art. regnante Deo per ſolam naturam, legum omnium naturalium interpretationem incumbere Civitati, hoc eſt, ei homini vel curiæ, quæ habet ſub Deo ſummum Civitatis imperium; de *Legibus ſacris* vidimus ad præced. articulum. Quantum ad *leges ſeculares*, hoc eſt, eas, *quæ pertinent ad juſtitiam & mores hominum verſùs homines*, idem hoc loco, ſed obiter tantùm innuit, fuſiùs hâc de re agit *cap.* 6. ubi ad *art.* 16. lubet quærere; *An quid furtum, homicidium, adulterium, & injuria ſit, cognoſcatur tantùm ex Legibus civilibus?* Id aſſerit iſto loco Hobbes

bes: confer *art.* 10. *cap.* 17. Fatetur interim, *furtum*, *homicidium*, *adulterium*, *atque injurias omnes Legibus naturæ prohiberi*; ſed cur ergò hæc inter leges naturæ, de quibus *cap.* 2. *&* 3. egit, non numeravit? quî etiam hoc cohæret cum eo, quod tradit *art.* 9. *cap.* 14. ubi diſertè docet, *præcepta Decalogi de parentibus honorandis, de homicidio, adulterio, furto, & falſo teſtimonio, Leges eſſe civiles; & Leges naturales quidem ea præcipere, ſed implicitè tantùm*; hoc eſt, ut ibidem explicat, *quatenus Lex naturalis jubet obſervari pacta, ideoque etiam obedientiam præſtari, quando cives obedientiam pacti fuerint.* Statuit ergo loco citato, ſimpliciter illa eſſe Leges civiles; ſecundùm quid tantùm, per accidens, implicitè, & remotè Leges naturales; ratione ſc. pacti civilis, quo obedientiam paciſcuntur cives; & quatenùs Legis naturalis eſt, *pactis ſtandum eſſe*; adeoque non aliter eſſe Leges naturales, quàm tales

les dici poſſunt quævis Leges civiles, ut quæ omnes hoc pacto naturales dici poſſent: hîc autem ſimpliciter illas dicit eſſe leges naturales; ſecùndùm quid autem civiles, quatenùs ſc. quid furtum, homicidium, adulterium, &c. ſit, lege civili determinandum eſt.

Nec prætereà conſiſtere poſſunt, quæ hic tradit; ſc. *furtum*, *homicidium*, &c. *Leges eſſe naturales*; *quid autem illa ſint*, *non naturali*, *ſed civili Lege determinandum eſſe*. Nam 1. non poteſt intelligi vim legis habere poſſe illud, quod quidem aliquid præcipit; quid autem illud ſit, non definit: vis tota legis in *dirigendo*, & *obligando* conſiſtit; ſed hæc lex illa præſtare nequit, quæ nihil definit: aut ergò dicendum, non tantùm lege civili, ſed & naturali, quid furtum, homicidium, &c. ſit, definiri & determinari; aut negandum, illa, quatenùs leges ſunt, leges eſſe naturales. Dicet forſan, *Leges haſce*, *qua-*

Digitized by Google

quatenùs à naturâ procedunt, non eſſe leges propriè atque accuratè loquendo; ſed quatenùs in Scripturis SS. latæ ſunt, per *art.* 33. *cap.* 3. Sed contra eſt, quòd & de iiſdem præceptis doceat *art.* 10. *cap.* 17. quatenus ſc. in SS. Scripturis exſtant, non eſſe definitum à Chriſto quid furtum, homicidium, &c. ſit; ſed *nihil aliud mandaſſe his præceptis D. N. J. Chriſtum (non occides, non mœchaberis, non furabere, parentes honorabis,* &c.)*quàm ut cives, & ſubditi ſuis principibus in quæſtionibus omnibus circa meum & tuum* &c. *abſolutè obedirent.* 2. Lex naturalis de furto, homicidio, &c. aliquid vetat; quid autem aliud, quam quod iſtis nominibus ſignificatur? at iſtis nominibus non ſignificatur aliquid confuſum, indeterminatum, & vagum; ſed *furto* ablatio rei non cujuſvis, aut cujuſdem indefinitè, ſed alienæ invito aut inſcio domino: *homicidio* occiſio hominis, non indefinitè cujuſvis, aut cujuſ-

dam tantùm; ſed innocentis, vel ſaltem proportionem delicti excedens, aut quæ privatâ fit authoritate; quale homicidium & non aliud notat τὸ רצח, quod in ſexto Decalogi præcepto occurrit; atque eo rectius Moorden/ quam Dooden vertitur. Vide *Hoornb. Theol. pract. p.* 1. *libr.* 3. *cap.* 1. *pag.* 239. *Adulterio* non quivis concubitus, aut aliquis indefinitè; ſed cum altero, aut alterâ, quorum alteruter cum alio legitimo matrimonio eſt copulatus: & quantùm ad *injuriam*, ex dicendis ad *art.* 3. *cap.* 3. liquebit, illâ nihil aliud ſignificari, quam juris violationem: imò ipſe definit; *injuriam dici, quod ſine jure fit, & quod in pacti violatione* conſiſtit; loc. cit. 3. Non ſequitur, quid furtum, homicidium, &c. ſit appellandum, lege civili determinandum eſt; ergo non eſt lege naturæ definitum: nam unde quid illa ſint, aut quid in cive ita appellandum, lege civili poteſt determinari, quàm ex

ex dictamine rectæ rationis, hoceſt, ex lege naturali? per *ar.* 1. *cap.* 2. Lex ergò civilis illa per naturam definita eſſe ſupponit; nec legis nomen meretur lex ulla civilis, niſi rectæ rationi, quæ eſt anima legis, ſit conſentanea; v. gr. Hyrcanorum illa, quâ filiis fas erat parentes ſenio confectos mactare; vel mortuos canibus laniandos præbere. Item Sybaritatarum, *nemo noſtrûm frugi eſto*; quorum ideò rempublicam πονηρόπολιν vocat *Suidas in voce* πονηρόπ. Talis etiàm Epheſiorum refertur lex à *Cicerone* 5. *Tuſc. Ut vir virtute excellens è republicâ ejiceretur.* Et olim nonnullis in locis vaſalli tenebantur feudorum dominis primâ nuptialis diei nocte ſponſas tradere violandas, referente *Lactant. libr.* 1. *cap.* 5. *Inſt.* Adde hiſce, quod latiùs probandum ad *cap.* 1. ſc. & in ſtatû naturæ, ubi nullæ ſunt leges civiles, furto, homicidio, adulterio, &c. hoc eſt, contrà leges naturales per hunc art.

peccari poſſe; id, quod ipſe non gravatur admittere Annot. ad *art.* 10. *cap.* 1. *In ſtatû merè naturali unicuique licebat facere quæcunque & in quoſcunque libebat; & poſſidere, uti, frui omnibus, quæ volebat & poterat; hoc,* inquit, *ità intelligendum, quod quis fecerit in ſtatû merè naturali, id injurium quidem homini nemini eſſe. Non quod in tali ſtatû peccare* (N. B.) *in Deum, aut leges naturales violare impoſſibile ſit.* Præthereà hiſce peccari poteſt à principe; *Deut.* XVII. 1. *Reg.* XXI. 2 *Sam.* XI. & XII. cum *Pſ.* LI. At hunc docet nullâ lege civili teneri, *art.* 14. *hujus cap.* Deinde horum & ſimilium ſcelerum Gentiles reos peragit Apoſtolus, *Rom.* 1. non quòd hæc & ſimilia fecerint, quatenùs illa per leges civiles fuerunt definita & prohibita; ſed quòd hæc ipſa mala eſſe, & quid ſint, dictante conſcientiâ cognoverint ex ipſâ naturâ, ut patet *verſ.* 32. & *cap.* II. 14, 15. Adde *Lev.* XVIII. 27. 1. *Cor.* V. 1. Denique

que ſi neque naturâ, neque Scripturâ, ut docet *art.* 10. *cap.* 17. definitum eſt, quid ſit furtum, homicidium, &c. ſed ſolâ lege civili cognoſcitur, ſequitur V. D. Miniſtros, ſi pro Eccleſiâ 5, 6, 7, 8, 9. præcepta Decalogi explicare velint, non ex naturâ, aut Scripturâ, ſed ex corpore Juris civilis, quid furtum, &c. ſint addiſcere & docere debere; quod quàm abſurdum ſit, quis non videt? vide 2 *Tim.* III. 16, 17.

Objicit de furto; *non omnis ablatio rei, quam alter poſſidet, ſed rei alienæ tantùm furtum eſt; quid autem noſtrum ſit, quid alienum, legis civilis quæſtio eſt.* Reſp. 1. Omnis ablatio rei, quam alius poſſidet jure, ſeu ut ſuam, eſt ablatio rei alienæ: ſi ergò ablatio rei alienæ furtum eſt; ergò & ablatio rei, quam alter jure poſſidet ut ſuam. 2. Si furtum eſt ablatio rei alienæ, atque hoc lege naturæ prohibetur; ergò quid furtum appellandum ſit, à lege naturæ de-

finitum eſt. 3. Non ſequitur, quid noſtrum, quid alienum ſit, legis civilis quæſtio eſt; ergò hoc non eſt definitum à lege naturali, ut ex ſuprà dictis patet 4. Lex naturæ dictat, communionem omnium bonorum eſſe abolendam, & jura quædam retinenda, quædam in alios transferenda, *per art.* 3. *cap.* 2. hoc autem fit pactis, *per art.* 9. *ejuſdem cap.* quid ergò ſuum, quid alienum ſit, ex pactis cognoſcitur; jus etiam jure naturæ in rem aliquam acquiritur ſorte, primâ occupatione, & primogeniturâ per *art.* 18. *cap.* 3. & per *art.* 14. ejusdem *cap.* dictamen eſt legis naturalis, *ut quæcunque jura unuſquiſque ſibimet ipſi poſtulat, eadem etiàm unicuique concedat cæterorum*; non ergò quid ſuum, quid alienum ſit, cognoſcitur ex ſolâ lege civili. Simile eſt, quod de *homicidio* objicit; *non omnis*, inquit, *occiſio hominis homicidium eſt; ſed ejus tantùm, quem occidere vetat lex civilis.* Reſp. 1. Falſum

eſt,

Digitized by Google

eſt, non omnem occiſionem hominis eſſe homicidium laxè; dicitur enim homicidium, quaſi cædes hominis: ſicut *Horat. Homicidam Hectorem* cum laude dixit. 2. Hominis innocentis occiſio deditâ operâ; vel nocentis quidem, ſed privatâ authoritate, eſt homicidium, quod lege naturæ prohibetur. 3. Lege civili non poteſt hominis innocentis occiſio juberi, aut permitti, hominis innocentis occiſori parci, aut etiàm gravioris alicujus ſceleris reis: unde colligitur, legis civilis non eſſe per ſe primò definire, quænam hominis occiſio homicidium appellandum ſit. Nec melioris notæ eſt, quod de *adulterio* profert; *neque*, inquit, *omnis concubitùs adulterium eſt, ſed is tantùm, quem leges civiles prohibent*, *Reſp.* 1. Lex naturalis prohibet adulterium, non omnem concubitum, aut aliquem indefinite; ergò quid adulterium ſit, etiàm ex lege naturæ cognoſcitur. 2. Lex civilis

neque quemlibet concubitum permittere, neque jubere, neque prohibere poteſt, aut debet; ſed quem dictamen rectæ rationis, & lex Divina, aut permittendum, aut prohibendum docet. *Lev.* XVIII. *Rom.* I. 1 *Cor.* V. 1. *Denique*, inquit, *promiſſi violatio injuria eſt, ubi ipſum promiſſum licitum eſt. Ubi verò jus non eſt paciſcendi, ibi nullum jus tranſit, ideoque nulla ſequitur injuria; quæ autem paciſci poßumus, quæ non poſſumus, à lege civili pendet. Reſp.* 1. Hîc ſupponit, injuriam adæquatè in promiſſi aut pacti violatione conſiſtere, de quo ad *art.* 3. *cap.* 3. 2. Lex civilis circa pacta nihil definit, niſi ſecundùm æquitatem naturalem. 3. Falſum eſt, in univerſum à legis civilis definitione pendere, quæ paciſci, & non paciſci poſſimus: nam 1. ipſe *cap.* 2. multa circa pacta definivit ex dictamine rationis naturalis. 2. Filius promittit patri obedientiam; maritus & uxor ſibi mutuo mutuas operas; omnes

omnes fideles Deo ſubjectionem ſui ad ipſius voluntatem ſimpliciter, & in omnibus; quæ promiſſiones per ſe juſtæ ſunt ac piæ: at hæc in univerſum á legibus civilibus non pendent: dependentia enim hominis à Deo, ſocietas item conjugalis & paterna naturâ priores ſunt lege omni civili, & ſocietate politicâ. 3. Ipſa conſociatio civilis ſeu politica pacto fit, per *art.* 8. *cap.* 5. at hoc pactum à lege civili non pendet, ut pote quod ipſâ ſocietate politicâ, adeoque omni lege civili, eſt prius; prius autem á poſteriori non pendet.

Objicit etiam *legem civitatis Lacedamoniorum, qua ſanxit impunè fore adoleſcentibus, ſi quaſdam res ità aliis auferrent, ut non deprehenderentur*; atque hoc ſtatuit *rectè factum: nihil enim aliud erat*, inquit, *quàm legem facere, ut ſuum, non alienum eſſet, quod ſic acquireretur. Reſp.* 1. Olim apud Germanos latrocinium non reputabatur iniquum; ut refert *Julius Cæſar*

de bello Gall. libr. 6. quod tamen evidenter fuit contra legem naturæ;

> *Namque odit ipſe vim Deus; nec divites*
> *Nos eſſe rapto, ſed probè partis, cupit* &c.

Eurip. in Helen. undè & Paulus JCtus *furtum naturali jure prohibitum*, & Ulpianus *naturâ turpe*, dicunt apud *Grot. de jure bell. ac pac. libr.* 1 *cap.* 1. *num.* 10. 2. Lex nulla civilis præſtare poteſt, ut ſuum ſit, ſi quis acquirit aliquid malâ fide, quod alienum eſt, inſcio ſc. & invito domino; quia hoc furtum eſt per dicta: at hoc neque permitti, neque juberi poteſt à lege civili. 3. Nec ſequitur, quia tale quid olim ſancitum fuit lege Lacedæmoniorum, ideò quid ſuum, quid alienum ſit, non cognoſci ex lege naturæ: una hirundo non facit ver; nam, ut recte monet *Ariſt.* 1. *Pol.* 5. *Quid naturale ſit, ſpectandum in his, quæ benè ſecundum naturam ſe habent; non in depravatis.* Cui conſen-

taneum

Digitized by Google

taneum eſt illud Michaëlis Epheſii *ad Nicom.* *Naturale eſt, quod apud pleroſque non corruptos, ſed naturæ convenienter ſe habentes, obtinet*: undè benè monet Chryſ. *Ne rerum dijudicationem ab iis mutuemus, quibus corruptus eſt animus*; in orat. Chriſtum eſſe Deum. Et rectè judicat Cic. 3. off. *contra naturam eſſe ex hominis incommodo ſuum augere commodum*; & alibi, *Illud natura non patitur, ut aliorum ſpoliis noſtras facultates, copias, opes augeamus.*

De *homicidio* ſimiliter ſtatuit, *rectè ubique occidi, quem bello, vel neceſſitate propriæ defenſionis occidimus.* *Reſp.* 1. Falſiſſimum hoc: nam 1. quantùm ad bellum; non rectè in eo occiduntur, qui juſtum bellum gerunt, ab iis, qui injuſtum. 2. Neque etiàm infantes, fœminæ, ſenes, & ſimiles imbelles homines. Quantùm ad neceſſitatem propriæ defenſionis; non licet v. gr. propriæ defenſionis gratiâ tertium quem innocentem aut

opponere, aut opprimendum invaſori objicere. 2. *Reſp.* Hinc non probatur, quid homicidium ſit, nullatenùs cognoſci ex lege naturæ; ſed contra potiùs cognoſci: ſi enim recta ratio dictat rectè ubique occidi, quem in bello, &c. colligitur indè non rectè occidi, quem innocentem extra bellum, vel citra neceſſitatem propriæ defenſionis occidimus; ut v. gr. ſi quis *alium occidat innocentem ex vanâ gloriâ & falſâ virium æſtimatione. art. 4. cap. 1.*

Similiter, pergit, *qui concubitus in unâ civitate matrimonium eſt, in aliâ adulterium judicabitur. Reſp.* Quid adulterium ſit, per ſe liquet; ſc. concubitus cum uxore vel marito alterius: quæ autem civitas, quæſo, talem concubitum judicabit legitimum matrimonium? & quamvis ſic judicaret, eô tamen non minùs eſſet adulterium. Opponit portò quoad matrimonium, quodque legitimum ſit, à Civitate debere definiri; *quia*, inquit,

inquit, *ea pacta, quæ faciunt matrimonium in uno cive, non idem faciunt in alio, quanquam ejuſdem civitatis; atqui hoc eſt à lege civili*, *Reſp.* 1. Non eſt in univerſum verum, à lege civili hoc eſſe: nam. v. gr. pactum matrimoniale civis cujuſdam ſuâ cum ſorore, matre, filiâ, novercâ, eſt invalidum; non autem alterius cujuſdam cum illâ; quamvis ejuſdem civitatis ſint cives: verùm hoc non eſt à lege civili primariò, ſed lege naturæ; ut conſtat *Lev.* XVIII. 24, 25, 26. 1 *Cor.* v. 1, 2. Falſum eſt, *eum, qui paciſci quidpiam prohibetur à Civitate, eô non habere amplius jus paciſcendi*: nam aliud eſt ipſum jus, aliud ejus uſus; poteſt ergò aliquis à naturâ jus habere paciſcendi aliquid, cujus tamen juris uſus per leges civiles impediri poteſt, non omninò tolli: undè intelligitur, quomodo invalidum dicendum ſit pactum, quo quis aliquid paciſcitur contra leges Civitatis, ad quod tamen paciſcendum à naturâ jus

jus habet. 3. Et hoc falſum; *omne matrimonium eſſe per ſe validum, modo non prohibeatur à lege civili.* V. gr. matrimonium inter fratrem & ſororem, & reliqua ſuprà memorata, item polygamia, pacta ſunt matrimonialia ſuâ naturâ invalida; quamvis nullâ lege civili prohiberentur; *Levit.* XVIII. Quod conſtat tùm quòd naturalis verecundia tales coïtûs non permittat; tùm etiàm quòd bruta quædam animantia arcano naturæ inſtinctû ab iis abhorreant, ſecundùm illud Senecæ in Hippol.

Feræ quoque ipſæ Veneris evitant nefas;
Generiſque leges inſcius ſervat pudor.

Gentiles quoque, qui legem ſcriptam non habent, *Rom.* II. 14. Lucanus de coitû filii cum parente;

---- Cui fas implere parentem,
Quid rear eſſe nefas? ---

Et Cicero in Oratione pro Cluent. cum ſocrum genero nupſiſſe narrâſſet, ſubdit; *O mulieris ſcelus incredibile*

bile! & præter hanc unam in omni vitâ inauditum! & apud Virg. eſt;

Thalamos auſum inceſtare noverca.

Plato conjugia inter fratres & ſorores vocat μηδαμῶς ὅσια, καὶ θεομισῆ; *minimè pia, ſed Deo inviſa.* 8. de legibus. Undè autem ità judicarunt Ethnici, quam quod dictante naturâ hoc ipſum intelligere potuerunt? Loc. cit. *Rom.* I. 32. & II. 14, 15. I *Cor.* V. I. Ipſi quoque Judæi leges iſtas *Levit.* XVIII. Gentiles quoque ſpectare, iiſque hos etiam comprehendi ſtatuunt; præſertim ſex interdictis illis, quæ à primâ rerum origine & jure naturæ derivant; coitûs videl. cum matre, cum novercâ, cum uxore alienâ, cum ſorore uterinâ, cnm maſculo, & beſtiâ; de quibus videre licet *Seldenum libr.* 5. *de jure nat. Hebr. cap.* I. & II. Adde *Zepper de lege Moſ. l.* 4. *cap.* 19. *Voet. Pol. Eccleſ. p.* I. *libr.* 3. *tract.* I. *ſect.* 2. *cap.* 3. *p.* 56. & 65. Polygamiam contra legem naturæ eſſe, ſapientiores

res inter gentiles cognoverunt: *Euripid. in Andromachâ;*

Non etenim decet
Imperare feminis geminis virum:
Contentus uno conjugis vivat thoro,
Quicunque cupiet ritè curatam domum.

Et alibi idem;

Nunquàm geminâ de matre genus,
Nunquàm duplices laudabo thoros.

Et quæ plura ſequuntur. Conſonat Plautus in Mercatore;

Nam uxor contenta eſt, quæ bona eſt, uno viro:
Quî minùs vir unâ uxore contentus ſiet?

Ex hiſce jam pateſcit, quid dicendũ ad ea, quæ occurrunt in annotatione ad hunc art. 1. Dicit; *Viri & mulieris ad cohabitationem contractus legitimus, id eſt, Lege civili conceſſus, certè matrimonium eſt legitimum; cohabitatio autem, qualem, aut inter quos, Civitas fieri prohibet, matrimonium non eſt:* cùm

Digitized by Google

cùm ſit de eſſentiâ matrimonii, ut contractus ſit legitimus. Reſp. Oſtendimus modò, non in totum, atque unicè pendere à Lege civili, definire, quis contractus matrimonialis ſit legitimus, & quis non.

2. Dicit; *Matrimonia fuerunt legitima permultis locis, ut apud Iudæos, Græcos, Romanos, quæ tamen ſolvi poterant; alibi verò matrimonium ſolvi non poteſt, atque hoc totum eſt à Lege civili.* Reſp. Divortium eſt contra naturam contractûs matrimonialis, & primævam ejus inſtitutionem; ut liquet *Gen.* II. 24. *Matth.* XIX. I *Cor.* VII, 4. nullâ ergò Lege civili permitti potuit, aut debuit. Optimè Lactant. in hæc loca reſpiciens; *Non enim ſicut juris publici ratio eſt, ſola mulier adultera eſt, quæ habet alium; maritus autem, etiamſi plures habeat, à crimine adulterii ſolutus eſt. Sed Divina lex ità duos in matrimonium, quod eſt corpus unum, pari jure compingit, ut adulter habeatur quiſquis compagem corporis*

Digitized by Google

poris iu diverſa diſtraxerit. libr. 6. inſt. cap. 23. Et Hieron. ad Ocean. *Apud nos, quod non licet fæminis, æquè non licet viris.* Quantùm ad Judæos, divortium lege aliquâ civili ipſis fuiſſe conceſſum tanquam licitum, falſum eſſe liquet, tum ex loc. cit. tum ex *Mal.* 11. 14, 15. Tale quidem aliquid *Deut.* 24. innui videtur: verùm lege illâ Moſaicâ divortium ob quaslibet cauſas non probari; ſed eorum licentiam nimiam potiùs hac lege quodammodò coërceri liquet, tùm ex dictis Servatoris *Matth.* v, 31, 32. tùm ex ipſa lege; ut quâ præcipitur, nemini fas fore, uxorem ſuam à ſe rejicere, niſi dato prius libello repudii. Quicquid ſit, divortia inter Judæos nullâ lege Moſaicâ unquàm fuerunt probata; tolerata tantùm πρός τὴν σκληροκαρδίαν αὐτῶν, ut docet Servator *Matth.* xix. 8. *Quodque ità permittimus* (juxta auctorem ſub nomine Chryſoſt. hom. 32. in cap. xix. Matth.) *nolentes præcipimus; quia ma-*

las

las voluntates hominum ad plenum prohibere non poſſumus. Græcis quidem aliquandò matrimonia ſolvi poterant, hoc autem etſi à lege civili eſſet, erat tamen, uti diximus, contra legem naturalem; quod ſaniores inter Græcos non ignorârunt: talem fuiſſe legem Charondæ, ut quâcunque de cauſâ liceret uxori à viro divertere, judicârunt Thurii; qui, cùm mulieres illâ licentiâ abuſas pro libidine ſuos mutare maritos animadverterent, legem illam corrigere coacti fuerunt. *Diod. Sic. libr.* 12. *Bibl.* Neque à Romanis divortia frequentari cœpta ante annum U. C. 523. M. Attilio & P. Valerio coſſ. cùm Sp. Carbilius Ruga primus cum uxore divortium fecit, idque jure jurando coactus, quo Cenſoribus promiſerat, ſe uxorem liberorum quærendorum gratiâ ducturum; *Gell. l.* 4. *cap.* 3. Et teſtatur *Tertull. in Apol.* tantam apud priſcos Romanos matrimonii fuiſſe reverentiam, ut

ut annos ferè 600. nulla repudium domus ſenſerit.

Tandem ad finem annot. ad art. ità concludit; *Matrimonium apud nos ſolvi non poteſt, quia Civitas illud ſolubile fieri vetuit: non quia ſacramentum eſt: itaque circa matrimonium nuptiarum ceremonias, quæ in templis peragenda ſunt peragere, conjugibus benedicere, ad Eccleſiaſticos fortaſſe ſolos pertinebit; cætera omnia, nempe, quî, quando, quibus pactis, matrimonia fiant, penes leges civitatis ſunt.* *Reſp.* Fatemur, quòd matrimonium apud nos ſolvi non poſſit, non id indè eſſe, quòd ſacramentum ſit; uti volunt Pontif. vide *Bellarm. controv. tom.* 3. *de matrim. Sacram. l.* 1. *cap.* 4. Sed, inquam, id nec in ſolidum eſt à civitate, aut lege civili, ſed à naturâ contractûs matrimonialis. Vide *Ameſ. caſ. conſc. lib.* 5. *cap.* 38. *q.* 1. Concedimus etiàm cauſas matrimoniales ad forum Politicum pertinere: at indè non ſequitur, 1. Illas ad Eccleſi-

cleſiaſticos nullo modo pertinere per modum conſilii. 2. à Lege naturæ neutiquam eſſe definitum, quî, quandò, quibus pactis, matrimonia fieri debeant.

Ex dictis ſequitur, falſiſſimum eſſe, quod tradit *Auctor*,

1. *Art.* 9. *cap.* 14. *Præcepta Decalogi de parentibus honorandis, homicidio, adulterio, furto, falſo teſtimonio, leges civiles eſſe.*

2. Et quod occurrit art. 10. cap. 17. *Legibus illis (non occides, non mæchaberis, non furabere, parentes honorabis) nihil aliud præcepiſſe D. N. J. Chriſtum, quam ut cives, & ſubditi ſuis principibus, & ſummis imperantibus in quæſtionibus omnibus circa meum, tuum, ſuum, alienum, abſolutè obedirent.*

ART.

ART. XVIII.

Dubitationes quædam ſublatæ.

I. Dubium.

An non ſequatur ex antedictis ab Auctore; obediendum Civitati, eſſe ſi directè Deum imperet contumeliâ afficere, aut prohibeat colere?

NEgat ſequi; nec mirum: nam quâ fronte directè & diſertè id ipſum affirmare auſit quiſquam, qui Chriſtianus audiri geſtit, uti Noſter; ego tamen, id ipſum non obſcurè ſequi ex ſequentibus ipſius Hypotheſibus, nullus dubito. Art. 2. cap. hujus. 15. *Atheos dari* aſſerit, *qui Deum eſſe non credunt, & tales etiam, qui tametſi Deum eſſe credant, eum tamen hac inferiora regere non credunt.* Et clarius annot. ad *art. 19. cap. 14. Etſi ab aliquibus Deum eſſe &c. tamen homines in voluptatibus &c.* (quales *ſcire non poſſe* ſunt plerique homines.) Ipſo

Ipſo autem art. 19. cap. 14. *Deum non habere ſummum imperium in mortales, niſi ſit ei eorum conſenſu delatum.* Et, *qui vel Deum non eſſe, vel mundum non gubernare affirmaverit, eum contumeliam in Deum evomere* fatetur: *ibid.* Et *art.* 16. *c. hujus* 15. quo probet, in regno Dei naturali Civitatem poſſe cultum inſtituere arbitrio ſuo, hoc habet; *quod dependet*, inquit, *& vim ſuam derivat à voluntate hominum, eorundem conſentientium voluntate mutari vel aboleri poteſt; quod autem conſtituto hominum poteſt fieri, id conſtituere Civitati licet.* Et art. 17. *Singulos cives tantum juris in eum vel eos, qui imperium habent civitatis, quantum transferre potuerunt, tranſtuliſſe; potuiſſe autem tranſferre jus decernendi de modo, quo Deus colendus eſt; ergo & tranſtulerunt*; idque probat: *quia modus honorandi Deum ante conſtitutam civitatem ab uniuſcujuſque ratione privatâ petendus erat; at unuſquiſque rationem privatam rationi totius Civitatis ſub-*

ſubmittere poteſt. At, inquam, per *art.* 2. *hujus c.* in poteſtate fuit ſingulorum etiam credere & affirmare, Deum non eſſe, aut mundum hunc gubernare; ſiquidem ergo tantum juris & poteſtatis ſinguli cives transtulerunt in Imperantem, quantum transferre potuerunt per *art.* 17. *hujus cap.* ergo etiam hoc juris ſeu poteſtatis decernendi, non eſſe Deum, vel eum hæc inferiora non gubernare, transtulerunt; *quod autem potuerint* (ſunt verba Auctoris) *ex eo manifeſtum eſt, quod jus decernendi de modo, quo Deus colendus eſt, ante conſtitutam civitatem ab uniuſcujuſque ratione privatâ petendum erat; unuſquiſque autem rationem privatā rationi totius Civitatis ſubmittere poteſt:* verum non tantū jus decernendi de modo, quo Deus colendus eſt; ſed etiam an colendus ſit, hoc eſt, an ſit, vel mundum gubernet, ante conſtitutam civitatem ab uniuſcujuſque ratione privatâ petendum erat per *art.* 2. *hujus cap.* & per *eundem*

eundem art. Deus non habet imperium in homines, niſi ſit ei eorum conſenſu delatum. Atque per *art.* 16. quod dependet, & vim ſuam derivat à voluntate hominum, eorundem conſentientium voluntate mutari, vel aboleri poteſt; quod autem conſtituto hominum poteſt fieri, id conſtituere Civitati licet; poteſtque, imò debet unuſquisque rationem privatam ſubmittere rationi totius Civitatis; ex quibus ſequitur, poſſe ſtatuere ſive decernere Civitatem, hoc eſt, illum qui ſummum habet civitatis imperium, *Deum non eſſe, mundum non gubernare, non eſſe colendum.* At decernere Imperantem, *non eſſe Deum*, aut eum *mundum hunc non gubernare*, eſt imperare Deum contumeliâ afficere, per *art.* 19. *cap.* 14. proinde quoniam obediendum eſt Civitati in omnibus, quæ jure imperat, etiam obediendum erit, ſi imperet Deum contumeliâ afficere, vel prohibeat colere. Ulte-

riùs, judicium de iis, quæ ad Deum & cultum ejus pertinent, in conſtitutâ civitate unicè docet dependere ab auctoritate Imperantis, *art.* 17. *hujus cap.* ad ſubditos nullo modo *art.* 1. *c.* 12. Si ergo decernat Imperans, *Deum mundum hunc inferiorem non regere*, obediendum erit Civitati, nec reluctandum erit à ſubditis: nam ſi regerant, tendere decretum tale in contumeliam Dei, contrà judicabit Civitas, id non tendere in contumeliam Dei, atque in promptu erit Civitati, quo ſeditionis reos peragat ſubditos illos, quòd judicium de bono & malo ſibi arrogaverint, per *art.* 1. *cap.* 12. juxta illud;

[Δοῦλος πέφυκας: οὐ μέτεστί σοι λόγου.

Servi tua eſt fortuna: ratio ad te nihil.

Quare igitur aut fatendum eſt, dictas Hypotheſes eſſe falſas, impias & blaſphemas; aut quod ipſe Auctor Deo contumelioſum eſſe non diffitetur, admittendum eſt; ſc. *obediendum eſſe*

Civi-

Civitati etiam, ſi directè imperet Deum contumeliâ afficere, aut ſi prohibeat colere.

Sed inquit, *centumeliâ afficere, vel omnino non colere à nemine intelligi poteſt pro modo colendi.* Hoc veriſſimũ eſt; attamen decernere poſſet Imperans aliquis, Deum mundum hunc inferiorem non gubernare, per *art.* 2. *hujus cap. & art.* 10. *cap.* 14. atque inſuper decernere & pronuntiare, non eſſe hoc Deo contumelioſum, ſed glorioſum & honorificum, ſicut Epicurus diſputat apud *Ciceronem.* Ergo id, quo revera Deus contumeliâ afficitur, decernere poſſet, eſſe Deo glorioſum & honorificum; at revera id eſſe contumeliam in Deum, ipſe agnoſcit, *art.* 19. *cap.* 14. vel ſic; credere & pronuntiare, *non eſſe Deum*, aut *eum mundum hunc inferiorem non gubernare*, non poteſt à quoquam intelligi pro modo cultûs; at decernere hoc poſſe Imperantem, patet; quia

hoc decernere fuit in poteſtate ſingulorum civium ante conſtitutam civitatem, per *art.* 2. *hujus cap. & art.* 19. *cap.* 14. Ergo transferre illam poteſtatem in totam Civitatem potuerunt, per *art.* 16. *hujus cap.* Ergo & transtulerunt, per. *art.* 17. Ergo quod intelligi à nemine poteſt pro modo colendi Deum, imperari poteſt à Civitate. Sed, *ante conſtitutam Civitatem*, inquit, *nemo eorum, qui Deum regnare agnoverunt, habet jus negandi honorem ipſi inde debitum, neque ergo jus talia imperandi in Civitatem transſferre poßunt.* At præterquam quòd falſiſſimum ſit, quod hiſce verbis ſubinnuit; ſc. omnes illos, qui Deum aut eſſe, aut mundum hunc inferiorem regere non credunt, jus habere negandi Deo honorem, ipſi revera debitum; ſequitur etiam, ſiquidem omnes & ſinguli ſubditi tantum juris transtulerunt in Imperantes, quantum ſinguli ipſi habuerunt ante conſtitutam civitatem; aut ante conſti-

conſtitutam civitatem neminem civium fuiſſe, qui Deum regnare non agnoverit, quod eſt contra *art.* 19. *cap.* 14. & *art.* 2. *c. hujus*, ubi jus decernendi, an Deus ſit, an mundum gubernet, an colendus ſit, ſtatuit eſſe in arbitrio ſingulorum ante conſtitutam civitatem; aut etiam jus habere Imperantem decernendi, non eſſe Deum, vel eum mundum non gubernare, aut non eſſe colendum; hoc eſt, obediendum eſſe Civitati, ſi directè imperat, Deum contumeliâ afficere, vel prohibeat colere. Vah blaſphema!

Digitized by Google

Dubium Alterum.

An obediendum Civitati ſit, ſi imperet aliquid dici vel fieri, quod non eſt directè in contumeliam Dei, ſed ex quo per ratiocinationem conſequentiæ contumelioſæ poſſunt derivari: veluti ſi imperetur, Deum colere ſub imagine coram iis, qui id fieri honorificum eſſe putant?

CErtè, inquit, *faciendum eſt.* Sed nunquid ergo faciendum eſt id, quod tendit in contumeliam Dei? atque colitur & honoratur Deus eo, quod ipſi contumelioſum eſſe dictat ratio naturalis; hoc eſt, an colitur & honoratur per id, quod eſt contra ſuum honorem? quis hîc non animadvertit manifeſtam contradictionem. Falſum etiam (quod ſupponit) *Deum colere ſub imagine* indirectè tantùm tendere in contumeliam Dei: quid enim intereſt, ſive ore, ſive opere Deo figura affingatur? at qui ore attribuit Deo figuram, directè Deum

afficit

afficit contumeliâ, per *art.* 14. *hujus cap.* vid. *Rom.* 1. 23. Et quamvis verum eſſet, idololatriam indirectè tantùm tendere in Dei contumeliam, illud tamen præſtare non poſſet, ut à peccato contra Deum prorſus immunis eſſet ſubditus, ſiquis Civitati, Deum ſub imagine colere imperanti, pareret: plus enim & minus non variant ſpeciem. Præterea, quod non poteſt jure imperare Civitas, in eo ſubditus non tenetur obedire: nam ut rectè Muſonius ait; *ſiquis aut patri, aut Magiſtratui, aut domino turpia, aut iniqua factu imperanti non paret; is nec inobediens eſt, nec injuriam facit, nec peccat*; cui conſonum eſt & illud apud Euripidem:

Non imperata jure nec jus exſequi.

At Civitas non poteſt jure imperare id, quod eſt contra leges naturales, hoc eſt Dei, quale eſt illud, quod ſaltem indirectè tendit in contumeliam Dei: nam ſi Civitas illud imperare jure poſſet, poteſtatem illam & jus

haberet aut à Deo, aut à ſubditis; à Deo fingi non poteſt eſſe jus aliquod, quod eſt contra ejus juſſum, quale eſt illud, quod legi naturali, ſeu rectæ rationi contrarium eſt, atque Deo contumelioſum; neque etiam à ſubditis: quia ſubditi ante conſtitutam civitatem jus illud non habuerunt: nam aut habuiſſent à ſe, aut à Deo; non à ſe, ut patet; neque intelligi poteſt, Deum hominibus jus dediſſe ſe colendi eo modo, quo contumeliâ afficitur; unde ſequitur, ſiquidem, ipſo teſte, *Deum colere ſub imagine* indirectè ſaltem tendat in contumeliam Dei, non obediendum Civitati illud imperanti: oportet enim Deo magis obedire, quam hominibus. *act.* 5. 29. magis ergo obediendum Deo prohibenti ſe colere ſub imagine, quam Civitati hoc imperanti. Quibus accedit ipſius Auctoris confeſſio, art. 16. *in actionibus illis, quæ, quod attinet ad honorem vel contumeliam, adiaphoræ non ſunt, ſed naturalia ſunt contemptûs*

aut

aut honoris ſigna, nihil immutare poſſe Civitatem. at inquam, *colere Deum per imagines* eſt talis actio, quæ non quoad honorem & contumeliam eſt adiaphora; ſed quæ naturâ ſuâ tendit in contumeliam Dei, ut hîc ipſe fatetur.

Objicit; *cultus*, inquit, *inſtituitur in ſignum honoris; ſic autem colere ſignum honoris eſt, & honorem Dei propagat apud eos, quibus pro ſigno habetur.* Reſp. 1. non omnis cultus eſt ſignum honoris externum. vid ad *art.* 9. 2. neque finis primarius cultûs divini eſt honorem Dei propagare apud alios, ad art. 13. hujus c. 3. neque ſignum honoris eſſe poteſt id, quod ſuâ naturâ tendit in contumeliam Dei, aut honorem Dei propagare apud alios.

Ipſe ſibi objicit annot. ad hunc art. *qui Deo terminos attribuunt, faciunt contra legem de cultu Dei naturalem, per art.* 14. *jam qui Deum colunt ſub imagine, terminos illi ſtatuunt, fa-*

ciunt ergo quod faciendum non eſt. Ad hoc reſpondet; 1. *non illos, qui imperio coacti ſic colunt, Deo terminos aſſignare; ſed qui imperant: nam qui inviti colunt reverà colunt, ſed eo in loco ſtant vel procumbunt, in quo loco ſtare vel procumbere à legitimo imperante juſſi ſunt.* Reſp. non ergo prudenter feciſſent ſocii Danielis, qui imaginem à Nebucadnezare erectam adorare recuſarunt: oportuiſſet enim illos cogitare, non ſe, qui imperio coacti ſic colunt, Deo terminos aſſignare; ſed Regem, qui id imperabat; ſe autem ſtare vel procumbere, in quo loco ſtare vel procumbere à legitimo Imperante juſſi erant, atque ſic eludi poſſe mandatum regis. 2. quid, ſi Civitas directè imperet Deum contumeliâ afficere, aut prohibeat colere, aut ſe coli jubeat attributis & actionibus illis, quibus colendus eſt Deus; an obediendum? negas & rectè; ſed ſi obediat ſubditus; an peccabit? peccare dices; at

dicam,

dicam, non illos, qui imperio coacti hoc faciunt, directè Deum contumeliâ afficere, ſed qui imperat: ſi dicas, peccata hæc fore & Imperantis & ſubditi; regeram, peccatum ergo committi non tantùm, quando imperatur, ab eo qui imperat; ſed & ab iis, qui peccatum imperanti obediunt: non ergo peccat tantum Princeps, ſi Deum ſub imagine coli præcipiat, ſed & ille, qui imperio coactus ſic colit.

Antonî tamen eſt pejor, quam cauſa Photini:
Hic facinus domino præſtitit, ille ſibi.

3. Nihil falſius hoc pronuntiato; *qui inviti colunt reverà colunt*: nam cultus Dei actus moralis eſt, & moraliter bonus; at talis eſſe non poteſt, ſi ſit coactus, non voluntarius; rectè Lactant. libr. 5. *Nihil tam voluntarium, quam religio; in quâ ſi animus eſt ſacrificantis adverſus, jam ſublata, jam nulla eſt.* Unde ſuſpicor, ſphalma hîc eſſe typographicum, & legen-

dum eſſe; *non, qui inviti colunt, revera colunt* (*non pro nam*) quod etiam ſequentia verba videntur poſtulare; *ſed eo in loco &c.* 4. non juvat cum hoc; *eo loco ſtant vel procumbunt, in quo loco ſtare vel procumbere à legitimo Imperante juſſi ſunt*: nam 1. de loco non eſt quæſtio, ſed de ipſo Dei cultu ſub imagine. 2. aliud eſt *legitimus* imperans, aliud *legitimè* imperans. 3. Abſtinendum ab omni ſpecie mali: 1 *Theſſ.* 5: 22. ἀκριβῶς ambulandum Eph. 5: 15. adde *Jud. v.* 23. 1 *Cor.* 10: 20. Ad ſupradictam objectionem *ſecundò* hoc reſpondet; *faciendum id eſſe non ſemper & ubique, ſed ſuppoſito, nullam aliam eſſe colendi Dei regulam, præter dictamina humanæ rationis: nam tunc,* inquit, *voluntas Civitatis pro ratione eſt, at in regno Dei per pactum, ubi expreſſè prohibetur idololatria, faciendum non eſt, etſi Civitas ſic colere jubeat.* Reſp. Idololatria etiam expreſſè prohibetur per dictamen rectæ rationis: eſt enim contra rectam rationem

tionem,& cultum naturalem Deo debitum, ipſi terminos aſſignare, per *art.* 14. *hujus cap.* nec negat in primâ reſponſione ad objectionem;& non minùs verbum Dei eſt, quod per dictamina rectæ rationis, quàm quod per ſupernaturalem revelationem declaratur, per *art.* 3. *hujus cap.* 2. Genuina hæc nota Tyranni eſt; *ſtat pro ratione voluntas*: in omni civitate voluntas Imperantis, ut vim obligandi habeat, non debet ſtare pro ratione, ſive eſſe contra eam, ſed ei conſentanea. Dicit 3. & rectè, *nefas eſſe, Deum ſub imagine colere in regno Dei per pactum, ubi expreſſè prohibetur, quamvis Civitas ſic colere juberet.* Sed nunquid etiam ſtare, vel procumbere coram idolo, ſi iſtîc loci ſtare vel procumbere præceptum fuerit ab Imperante? & nunquid & illi, qui ſic imperio coacti colerent, commiſſuri eſſent idololatriam; an vero ſoli illi, qui ſic colere imperarent? Parendum docet, *Leviath. pag.* 512. probatque ex verbis

verbis Nahamanis ad Eliſæum. 2.
Reg. 5:17, 18. *Non faciet amplius ſer-
vus tuus holocauſtum aut ſacrificium Diis
alienis, ſed Jehovæ. Veruntamen hâc in re
condonet Jehova ſervo tuo: cum ingre-
ditur dominus ædem Rimmonis, ut in-
curvet ſe ibi (nam is innititur manu
meâ) ſi incurvavero me in æde Rimmonis,
hoc incurvare meum in æde Rimmonis
condonet quæſo Iehova ſervo tuo, in hâc
re*; ſimulque verbis Eliſæi ad ipſum,
v. 19. *Abi cum pace.* Sed 1. non cogita-
vit, verba Syrii ad Eliſam commodè
explicari poſſe, ut non dicat, quid
facturus ſit in futurum, ſed quid fe-
cerit antea; veniamque delicti ex-
poſcat à Deo per Prophetam. 2. Et
quamvis intelligamus, ipſum de futu-
ro loqui, non tamen inde efficitur, il-
lud ei factum fuiſſe liberum à Prophe-
tâ; ſed contrà potius, cùm ipſe ve-
niam iſtius facti petierit, non ob-
ſcurè, ſeſe hoc facturum peccare,
confitetur. Nec 3. verba Prophetæ ad
ipſum (*ito in pace*) ſunt factum hoc Sy-
rii

rii probantis, ſed amicè tantùm dimittentis: neque enim dicit; *Abi, ſic agito*; dominus tibi propitius erit; ſed, *abi cum pace*: quaſi dicat; quieto animo eſto; ne ſis ſollicitus de iſto negotio: Deus te conſilio inſtruet, teque, quemadmodum petis, precibus ſuum adjuturus, ut te Deus ſervet ab idololatriâ. Alias aliorum reſponſiones prætereo; modo data videtur tutiſſima, atque analogiæ fidei, atque textui maximè conſentanea; vid. *Piſcat ad locum citatum*; *Petr. Martyr. loc. com. Claſs. 3. cap. 11. n. 9. & ſeqq. Notas Belgicas ad locum cit. celeberr. Voet. diſp. part. 3. pag.* 297. Denique, in regno Dei naturali aut licitum eſt imperio coactis non tantùm ſtare vel procumbere, in quo loco ſtare vel procumbere jubentur à Civitate; ſed etiam Deum reverà colere ſub imagine, aut non eſt; ſi licitum eſſe ſtatuat, quorſum tum hoc effugium (ut vim objectionis a ſe ipſo motæ declinet) *non illos &c. ſed eo in loco &c.*

Digitized by Google

co &c. eo enim indicare videtur; aliud eſſe reverà Deum per imagines colere, aliud ſtare vel procumbere iſtîc loci, ubi Idolum eſt; hoc licitum eſſe imperio coactis, illud illicitum: ſin dicat, non eſſe licitum; tum ſequitur, non ergo hâc in parte eſſe aliam rationem regni Dei per pactum, aliam regni Dei per naturam; quò tamen tendit hæc ſecunda ipſius ad ſuprà dictam objectionem reſponſio.

Dubium Tertium.

An obediendum Civitati ſit, ſi imperet Deo nomen attribui, quod non intelligimus, quid ſignificet, aut quomodo cum hoc ipſo nomine (Deo) cohæreat?

OBediendum dicit; ſed quis ſanæ mentis Imperans jubeat Deo nomen attribui, quod nec ipſe intelligit, nec ſubditi? quærere ergo, an eo caſu obediendum, tantundem eſt, ac ſiquis quærat, num obediendum ſit Principi deliranti, quique

que ipſe neſcit, quid jubeat, & quidem in iis, quæ honorem & cultum Dei concernunt. Quod ſi dicat, Imperantem hoc ipſum intelligere poſſe, quamvis id non intelligant ſubditi, atque eo caſu obediendum; reſpondeo, non teneri, niſi quid nomen illud, quod Imperans Deo jubet attribui, ſignificet, ſubditis priùs compertum ſit: quia non poteſt intelligi pro modo colendi, quod nemo intelligit: omnis enim cultus Dei primò in mente eſt, inde in dictis & factis: debet enim eſſe rationalis. *Rom.* 12: 1. Nullum ergo dictum pro cultu Dei intelligi poteſt, niſi quatenus eſt animi interpres; neque putandum eſt, nomina per ſe tribuere honorem Deo, niſi ratione perfectionis alicujus, aut virtutis, quæ ſub iis Deo tribuitur; nomen ergo Deo tributum, quod non intelligimus, quid ſignificet, fruſtra eſt & inconſideratum, & abuſus nominis divini, & peccatum contra quintam legem

legem naturalem de cultu Dei. *art.* 15. *bujus cap.* item contra præceptum rationis primum & generaliſſimum, *ut ſint ſigna animi honorantis*: at nomen, quod Deo tribuimus, & quod non intelligimus quid ſignificet, eſſe nequit (ut manifeſtum eſt) ſignum animi honorantis; ut quo non agnoſcitur potentia vel bonitas Divina: & contra præceptum ſextum ſc. *& honoris ſignificativum.* His accedit, quòd ille, qui Deo attribuit nomen, quod non intelligit, ſeſe periculo exponit tribuendi Deo, quod Majeſtate divinâ indignum eſt, quod implicat contemptum Dei. vide *Rom.* 14: 5, 23. 1 *Cor.* 14: *Ioh.* 4, 24. *Eph.* 5. 15. *De Deo etiam vera dicere periculoſum eſt*, habet vetus ſententia; multò magis de ipſo dicere, quod non intelligimus, quid ſignificet. Nullius ergo valoris eſt ratio Auctoris; *quia quæ facimus honoris cauſâ, nec intelligimus aliter ſe habere, ſi pro ſignis honoris accipiuntur, ſigna honoris ſunt &c.*

&c. nam in hoc arg. ſupponit, quicquam accipi poſſe pro ſigno honoris erga Deum, & honoris cauſâ fieri poſſe, quod non intelligimus: ipſe ſtatuit honorem conſiſtere in *opinione alienæ potentiæ conjunctæ cum bonitate art.* 4. *eumque tres affectus conſequi*; *amorem, qui ad bonitatem*; *ſpem & timorem, qui ad potentiam referuntur*; at nomen quod Deo tribuitur, & non intelligimus, quid ſignificet, aut quomodo cum hoc ipſo nomine (Deo) conveniat, non poteſt eſſe ſignum opinionis &c. neque ergo ſignum honoris eſſe poteſt.

Dubium Quartum.

An idem ſentiendum ſit de omnibus attributis & actionibus circa cultum Dei merè naturalem, quæ cadere in controverſiam & diſputari poſſunt?

ET hoc ſtatuit; at & *exiſtentia* eſt attributum Dei, per *art.* 14. quod in controverſiam vocant Athei. *per art.* 19. *cap.* 14. & *art.* 2. *hujus*

cap.

cap. & nullum eſt attributum Dei, quod ab impiis non poſſit in controverſiam vocari: ut manifeſtum eſt de *omnipotentiâ*, *omniſcientiâ*, *ſimplicitate*, *immutabilitate*, *omnipræſentiâ* Dei; quæ omnia & ſingula Dei attributa vel ψευδωνύμως Chriſtiani hodiè oppugnare non dubitant, ne providentiâ quidem Dei exceptâ, quam negant Epicuræi; nec minus circa actiones cultûs divini controverſiæ moveri poſſunt; quod ſi ergo in omnibus, quæ de his ſtatuerit Civitas, parendum eſt, quid tam impium fingi poteſt, in quo non, dummodo imperatum ſit a Civitate, obediendum ſit Imperanti? *Sed*, inquit, *quanquam hujusmodi imperata poſſunt eſſe interdum contra rectam rationem, ideoque peccata in iis, qui imperant; non tamen ſunt contra rectam rationem, neque peccata in ſubditis, quorum recta ratio in rebus controverſis eſt ea, quæ ſubmittitur rationi Civitatis.* Reſp. ſi imperata ſunt contra rectam ratio-

rationem, etiam obedientia imperatis iſtis conſentanea eſſe non poteſt niſi contra rectam rationem; quod autem contra rectam rationem eſt, peccatum eſt. art. 16. c. 14. Nec admittendum hoc effatum; *ſubditorum recta ratio in rebus controverſis eſt ea, quæ ſubmittitur rationi Civitatis*; quaſi ratio Civitatis eſſe poſſit contra rectam rationem, & ſubditorum ratio rationi Civitatis erroneæ conſentanea non ſit; quod eſt contra omnem rationẽ: nam aut imperatum Civitatis eſt contra rectam rationem, aut non eſt; ſi non eſt, imperatum Civitatis eſt recta ratio, & recta ratio obedientia ſubditorum, imperato Civitatis conſentanea; ſi eſt contra rectam rationem, imperatum ergo Civitatis non eſt recta ratio, neque ergo obedientia ſubditorum imperato tali, quod eſt contra rectam rationem, conſentanea, rectæ rationi conſentanea eſſe poteſt; hoc eſt, v. gr. linea aliqua lineæ curvæ ſubjecta, eique exactè conſentanea,

nea,

nea, eſſe nequit linea recta. Atque hoc ſi verum eſſet, peccari non poſſe à ſubditis in iis, quæ faciunt imperata à Civitate, jam actum eſſet de hoc, *obediendum Deo magis, quam hominibus*, de quo *Act.* 5. 29. Reſpondet & fatetur Leviath. cap. 31. pag. 383. *Illud tritum locum habere tantùm in regno Dei per pactum, non autem in illo hominum ſtatu, ubi regnat Deus tantùm per rationem naturalem.* Sed hoc neque congruit cum eo, quod ipſe hoc eodem art. reſpondet ad dubium primum & poſtremum; neque cum eo, quod cum laude leguntur feciſſe obſtetrices illæ, de quibus *Exod.* 1. quas tamen non Hebræas, ſed Ægyptias fuiſſe teſtatur Joſephus 2. *antiq. cap.* 5. Neque minùs in regno Dei naturali, quàm prophetico, poſtulat idem illud vulgatum gloria Dei, urget conſcientia, ſuadet ſtudium ſalutis æternæ, Regum & Principum fragilitas humana non minor, quam aliorum mortalium, *Pſ.*

62. Le-

Digitized by Google

62. *v.* 10. legum item naturalium tam ſacrarum, quam ſecularium promulgatio adeo perſpicua in omnibus, & ſingulis hominibus, ut tollatur omnis ignorantiæ excuſatio: per *art.* 3. *&* 4. *hujus c.* atque fundamenti paradoxæ hujus ſententiæ imbecillitas; putà; *Deum, quicquid imperat, per vocem Imperantis imperare; & è converſo, quod ab Imperante jubetur & circa modum honorandi Deum, & circa ſecularia, imperari à Deo*; de quo ad *art. præc.* 17. *hujus cap.* quibus addimus conſenſum Philoſophorum gentilium; quod loc. cit. dixerunt Apoſtoli, idem & iiſdem verbis dixit Socrates, ſicut de ipſo teſtatur Plato in ipſius apologiâ; ſimile eſt illud Sophocleum, quod Apollonius Neronis edicto opponebat.

Nam juſſa non hæc Iuppiter dederat mihi.

Neque Apoſtoli, cùm aureum illud dictum protulerunt, illud ita limitandum eſſe docuerunt loco citato, aut alibi.

Poſtre-

Poſtremum Dubium.

Si is homo vel Curia, cui commiſſa eſt ſumma poteſtas Civitatis, jubeat ſe coli attributis & actionibus illis, quibus colendus eſt Deus; an obediendum?

MEritò dicit, id *quæri poſſe*, an non ſequatur ex ſuis Hypotheſibus; putà: poteſtatem Principis eſſe „ abſolutam; ſimplicem & cœcam „ ei deberi obedientiam; cœcam „ dico, ſiquidem de præceptis ſupe„ riorum non eſt diſputandum; & „ judicationem boni & mali ad ſingu„ los pertinere, eſt ſeditioſa opinio. „ *cap.* 12. *art.* 1. Et ſimiliter, peccare „ poſſe ſubditos obediendo principi„ bus, *ibid. art.* 2. Et quod ait. *art.* „ 10. *cap.* 14. Impoſſibile eſſe lege ci„ vili quicquam jubere contra legem „ naturæ; & *art.* 17. *cit. cap.* Pecca„ tum eſſe, quod quis fecerit, o„ miſerit, dixerit vel voluerit contra „ rationem Civitatis. Rurſus Civitati

„ ti obediendum eſſe, quicquid juſ-
„ ſerit pro ſigno honorandi Deum,
„ id eſt, pro cultu uſurpari; etiam ſi
„ imperet Deo nomen attribuere,
„ quod non intelligimus quid ſignifi-
„ cet. Et jure ſolam Civitatem judi-
„ care, quæ nomina, ſive appella-
„ tiones Deo honorificæ ſint, quæ
„ non, *art.* 16. *hujus cap.* Legum natu-
„ ralium tam ſacrarum, quam ſecula-
„ rium, regnante Deo per ſolam na-
„ turam, interpretationes dependere
„ ab auctoritate ſolius Imperantis; &
„ Deum, quicquid imperat, per ejus
„ vocem imperare; & è converſo,
„ quod ab illo (Imperante) impera-
„ tur, circa modum honorandi Deum,
„ & circa ſecularia, imperari à Deo.
„ *ibid. art.* 17. Denique obediendum
„ Civitati, ſi imperet aliquid dici,
„ vel fieri, quod indirectè tantùm
„ tendit in contumeliam Dei. *hoc art.*
„ *dub.* 2. Quæri ergo poteſt, an ſi
Civitas ſe jubeat coli attributis &
actionibus illis, quibus colendus eſt
I Deus;

Deus; id directè, an indirectè tantùm tendat in contumeliam Dei, ſi directè, ergo aliquid, unde conſequentiæ contumelioſæ poſſunt duci, quale eſt, ſi Imperans præcipiat ſe coli attributis &c. directè tendit in contumeliam Dei, quod eſt contra id, quod in principio hujus art. docet; ſi indirectè tantùm; ergo juxta antedicta ab ipſo, obediendum; quod eſt contra id, quod hoc loco de propoſito dubio definit. Ille autem, ut ſeſe ex propoſito dubio expediat, *multa* dicit *eſſe*, *quæ Deo & hominibus communiter attribui* poſſunt; *analogicè* concedo; *univocè* nego: nihil enim eſt, quod *univocè* Deo & hominibus attribui poteſt; *homines* quidem *laudari & magnificari poſſunt*; ſed modus adhibendus, ne quæ Dei ſunt incautè tribuantur homini mortali, quod ab iis fit, qui poteſtatem principis ſupra ſortem hnmanam extollunt. vid. *Eſ.* 40. 6, 7, 8. *Pſ.* 62. 10. *Act.* 12. 22, 23. Quodque dicit, *etiam multas*

actio-

Digitized by Google

actiones eſſe, quibus & Deus & homines coli poſſunt; verum eſt, ſi per actiones intelligat geſtus externos. *Sed*, inquit, *attributorum & actionum ſignificationes tantum ſpectandæ ſunt*; at eorum ſignificationes abſolutè ab Imperantis interpretatione & arbitrio ſuſpendit, *art.* 16. Cui ſi addamus, quod alibi docet, ſubditis interdictum eſſe judicium de mandatis ſuperiorum, & eos obediendo peccare non poſſe; ſed ſi quid imperetur à Principe contra rectam rationem, peccatum id eſſe Imperantis, non ſubditi, ſi obediat; non video, quo minus obediendum foret: ſi forſan eo dementiæ procederet Princeps aliquis, ut ſe coli jubeat attributis & actionibus illis, quibus colendus eſt Deus. *Si jubeant* ergo *Reges*, *ſe coli attributis, quibus ſignificamus, ſentire nos hominem aliquem ita imperium habere, ut à Deo non dependeat; vel eſſe immortalem, vel potentiæ infinitæ & ſimilia*; rectè docet non obedien-

dum: ſimiliter & *actionibus idem ſignificantibus*; *ut precari abſentem*, rogare *ea, quæ ſolus Deus dare poteſt; ut pluviam, ſerenitatem, &c. & offerre ea, quæ ſolus Deus accipere poteſt, ut Holocauſta; vel cultum exhibere, quo major exhiberi non poteſt; ut ſacrificium.* At dico illa indirectè tantùm tendunt in contumeliam Dei, juxta definitionem *indirecti* ab ipſo traditam *hoc art. dub.* 2. Quare aut juxta antedicta obediendum; aut fatendum, non obediendum etiam in iis, quæ indirectè tantùm in contumeliam Dei tendunt; quale eſt, *Deum colere ſub imagine.* Dicit, & benè, in hiſce non obediendum: *hæc enim eo tendunt, ne Deus regnare exiſtimetur.* Verùm & dicere, poteſtatem Principis eſſe abſolutam; cœcam ei à ſubditis deberi obedientiam; non diſputandum de præceptis Superiorum; obediendo Principibus peccari non poſſe, & ſimilia, eodem tendunt. Quantum ad *genuflexionem, proſtra-*

tio-

tionem, vel alium quemcunque actum corporis, ea dicit *abhiberi licitè poſſe etiam in cultu civili: poſſunt enim*, inquit, *ſignificare agnitionem poteſtatis civilis tantùm*. Verùm & in hiſce modum adhibendũ eſſe conſtat. *Act*.10.v.25,26. *Apoc*.19.v.10. Verum eſt, *cultum divinum à civili non motu, ſitu, habitu aut geſtu corporis diſtingui; ſed ſententiæ de eo, qui colitur, declaratione*: at non tantùm ſpectandum in cultu, quid quis expreſſè intendat; ſed quid actio aliqua externa ex uſu hominum ſignificare ſoleat: unde non tantum *idololatria eſt, ſi proſternamus nos ante aliquem hominem animo declarandi eo ſigno, quod habemus eum pro Deo*; verùm etiam ſi ſignum externum quodvis adhibeamus, quod honorem divinum ex uſu hominum denotat; etiamſi eum, quem ita colimus, directè *pro Deo non habeamus, ſed id faciamus tantum in ſignum agnitionis imperii civilis*. Quantum ad *nomina* (λατρέια *&* δȣλέια) quorum prius Pontificii Deo volunt

 eſſe

eſſe proprium, & cultum divinum tantùm ſignificare; poſterius etiam Angelis & Sanctis demortuis; & cultum ſignificare non *civilem*, neque etiam *divinum*; ſed inter utrumque medium, qui civili major, divino minor eſt; fatemur nomina eſſe ſynonyma: utrumque enim *ſervorum officium ſignificat*, ſeu ſervitutem. Cultus inter divinum & civilem medius commentum eſt Pontificiorum, ad idololatriam ſuam palliandam, excogitatum.

ART. XIX. et ult.

An ſubditi ullo modo peccare propriè poſſint, juxta Auctoris Hypotheſes; regnante Deo per ſolam rationem naturalem?

PRimò inquit, *illos peccare, ſi violant leges naturales illas, quas ſe cap. 2. & 3. dicit explicaſſe.* Sed peccatum eſt anomia, ſeu legis transgreſſio. 1 *Ioh.* 3. 4. et per *art.* 19. *cap.* 14. ubi non eſt lex, ibi non eſt peccatum;

Digitized by Google

tum; at leges naturales, ſeu morales, non ſunt leges propriè & accuratè loquendo, niſi quatenus traditæ ſunt in Scripturâ ſacrâ, per *art.* 33. *cap.* 3. ergo regnante Deo per ſolam rationem naturalem ſubditi peccare non poſſunt propriè & accuratè loquendo contra leges naturales. *Secundò*, inquit, *ſi violant leges, ſive mandata Civitatis, in iis rebus, quæ pertinent ad juſtitiam*; at peccatum committitur propriè loquendo violando leges Dei, ut qui ſolus legiſlator eſt, qui poteſt ſervare & perdere; *Iac.* 4. nec repugnat Auctor hoc ipſo art. *Procedunt hic*, inquit, *peccata ſimiliter, ac ſi ſupponeremus, aliquem hominem eſſe ſupremum Regem, qui abſens regnaret per Proregem, contra quem, ſc. ſupremum Regem, peccarent illi, qui Proregi non obedirent*: leges autem civiles leges non ſunt, niſi quatenus legum naturalium ſeu Divinarum imaginem gerunt; ſed leges naturales ipſi non ſunt leges propriè & accuratè loquendo; quare cùm ſub-

ſubditi transgredientes leges naturales non peccent propriè & accuratè loquendo, ergo neque transgredientes mandata Civitatis in iis rebus, quæ pertinent ad juſtitiam. *Tertiò*, inquit, *ſi non colant Deum κατὰ τὰ νομικά.* Sed Socii Danielis in regno Babyloniæ, in quo regnavit Deus tantùm per rationem naturalem, Deum ita colere recuſârunt, nec tamen peccarunt: nec peccaſſent etiam, quamvis expreſſum Dei mandatum in S. Scripturâ de vitandâ idololatriâ non habuiſſent; niſi peccare dicat illum, qui id omittit, quod ipſe docet, dictare rationem naturalem tendere in contumeliam Dei; ſed hâc de re quantum ſatis ad art. præc. Denique *quartò*, inquit, *ſi non confiteantur coram hominibus verbis & factis, unum eſſe Deum Opt. Max. beatiſſimum totius mundi, mundanorumq; Regum Regem ſupremũ, hoc eſt, ſi Deum non colunt.* Atqui ipſe Atheiſmum propriè peccatum non eſſe multis probare conatus fuit *art.* 19. *cap.*

19. *cap.* 14. ſed eſſe tantùm imprudentiam quandam. & *art.* 2. *hujus cap.* negavit, Atheos ſubditos eſſe in Regno Dei, ſed hoſtes. & *art.* 19. *cap.* 14. Deum non habere imperium in homines, niſi ſit ei eorum conſenſu delatum, unde mirandum, quî hic dicat, *Atheiſmum eſſe læſæ Majeſtatis Divinæ crimen.* Nec cohæret cum eo quod tradit *art.* 10. *c.* 1. In ſtatu hoſtili omnia eſſe libera & licita; ſed per *art.* 2. *hujus cap.* Deus & Atheus ſunt in ſtatu hoſtili. Hiſce addo, ſuperiùs docuiſſe Auctorem, *ſubditos obediendo Principibus peccare non poſſe.* at hinc ſequitur, ſubditos primo & quarto modo peccare non poſſe, non peccantes ſecundo & tertio modo.

Atque hæc pro religione in regno Dei naturali hâc vice dicta ſufficiant, contra graviſſimos Philoſophi Angli errores, eoque graviores, quod in religionis negotio. Neque mirandum in hiſce materiis graviter lapſum fuiſſe illum, ut qui vel in ipſis Geome-

me-

Digitized by Google

metriæ elementis, ubi tamen ἀποδείξει locus, non ſemel turpiſſimè, quamvis non ita periculoſè, ac hîc fuit hallucinatus; prout à Viro longè doctiſſimo Joh. Walliſio S. T. D. atque in Acad. Oxonienſi Geometriæ Profeſſore in ſuo Elencho Geometriæ Hobbianæ ſuſè demonſtratum eſt.

FINIS.

Digitized by Google

Pag.	lin.	
5	14	*inteligunt*, l. *intelligunt.*
10	13	15 *l.* 5.
16	19	predicatione, *l.* prædicatione.
25	3	adóq;, *l.* adeóq;.
31	5	Reguo, *l.* Regno.
34	15	diſſenti, *l.* diſſentit.
	21	ſmnmum, *l.* ſummum.
35	12	ὑπεροξὴ, *l.* ὑπεροχῇ.
37	15	*predicatio*, l. *prædicatio.*
	19	obeditniæ, *l.* obedientiæ.
39	9	ἐξοχὴ, *l.* ἐξοχῇ.
41	10	unicujuſque, *l.* uniuſcujuſq;.
45	23	exrat, *l.* exſtat.
46	2	ἁπλῶς, *l.* ἁπλῶς.
	ibid.	fe, *l.* ſe.
47	1	*canſæ*, l. *cauſæ.*
50	15	imbecellitate, *l.* imbecillitate.
51	11	preſcripſit, *l.* præſcripſit.
55	5	fundamentũ, *adde*, obedientiæ
65	4	103. *l.* 130.
71	penult.	neque, *l.* atque.
72	2. 7	κτῆσιν, *l.* κτήσιν.
	3	χεῆσιν, *l.* χρήσιν.
86	14	XII. *l.* XIII.
110	ult.	verita e, *l.* veritate.
115	14	rradunt, *l.* traduut.
142	ult.	afferit, *l.* aſſerit.
166	5	Civitati, eſſe, *l.* Civitati eſſe.
	ult.	*l.* (quales ſunt plerique homines) *ſcire non poſſe.*

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google